UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Theologiæ Spiritualis Scholasticæ Et Moralis Tomvs ...

Ad Mentem Doctoris Subtilis Joannis Duns Scoti D. Augustino Conformem

In quo tractatur de Providentia Divina, Prædestinatione & Reprobatione. Item de Fide Divina, ejus veritate, obscuritate & credibilitate

**Bosco, Jean a**

**Antverpiae, 1686**

Sectio II. De Providentia supernaturali.

urn:nbn:de:hbz:466:1-73708

Visual Library

quàm poſſe eandem providentiam ſive divinam, ſive humanam reſpicere res variè inter ſe ordinatas, & ab illis varias rationes appellationeſque inadæquatas recipere; licet ſimpliciter & adæquatè ſemper vel ſit providentia naturalis, vel ſupernaturalis, & in Deo ſemper ſit ſimpliciter ſupernaturalis, & ſecundùm quid naturalis, ut dictum eſt. Hactenus Theodorus.

237. *Sub quo membro providentiæ divinæ comprehendatur reprobatio.* A quo ſi quæras, ſub quo membro traditæ diviſionis comprehendatur reprobatio divina. Reſpondet eod. n. in principio, reductivè ſpectare ad providentiam ſupernaturalem. Ratio eſt; quia privatio reducitur ad ordinem habitûs cui opponitur; ergo damnatio, quæ eſt privatio finis ſupernaturalis, ad ordinem hujus finis reduci debet: ergo providentia illa, quæ reprobis æternam damnationem decrevit, reductivè ſpectat ad ſupernaturalem. Atque hæc ſatis de prima diviſione. *Smiſing.*

238. *Diviſio providentiæ in univerſalem, & particularem.* Sequitur ſecunda in providentiam univerſalem & particularem. Illa appellatur, quæ circà finem univerſalem, ſeu pluribus rebus communem verſatur: hæc autem, quæ circà finem particularem, ſeu paucioribus communem; ad quam reducitur providentia ſingularis, quæ reſpicit finem, uni rei proprium ac particularem. *Quomodò intelligenda.* Ceterùm hæc etiam diviſio, ſicut prior, eſt divinæ providentiæ (ut probè advertit Smiſ. ſup. n. 98.) in plures rationes inadæquatas, deſumptas ex vario ordine rerum, quæ ſub divinam providentiam cadunt; licèt providentia ſpectata adæquatè (etiam noſtro modo intelligendi) tantùm ſit univerſalis; quia immediatus & adæquatus finis, quem divina reſpicit providentia, univerſalis eſt, nempè ipſa eſſentialis Dei bonitas, & ejus gloria. Inadæquatè autem ſpectata providentia, quatenus præcisè reſpicit hunc vel illum ordinem rerum, quarum unam vult eſſe propter alteram, quædam eſt magìs, quædam minùs univerſalis providentia. Nam magis eſt univerſalis, quâ omnem puram creaturam in Chriſti gloriam ordinavit, quàm illa, quâ puram creaturam intellectualem ordinavit ad beatitudinem æternam; & hæc univerſalior illâ, quâ corporeum Univerſum in ſuo ordine conſtituit; nam illud ulteriùs ad hominis obſequium ordinavit. Hæc Smiſing. Quibus nihil habeo addendum; nec video quid objici poſſit, quod mereatur ſolutionem. Eo ſemper ſalvo, ut providentia non ſolùm ſit mediorum, ſed, etiam finium, ut cum Smiſ. docui Concluſ. 3. eam vide.

Pro fine hìc addo diviſionem providentiæ (quam invenio apud Felicem de Provid. ca. 1. diffic. 1. n. 2.) in Monaſticam ſeu Ethicam, Oeconomicam, & Politicam. Prima eſt, quâ quis diſponit de rebus factibilibus, & cõvenientibus ſibi ipſi. Secunda, qua quis diſponit de rebus convenientibus domui vel familiæ. Tertia, quâ quis diſponit de rebus convenientibus Reipublicæ. Et quælibet ex his (ait præfatus Auctor) dividi poteſt in providentiam naturalem, & providentiam moralem. Naturalis eſt, quâ res ordinantur in ſuos fines naturales, ſive ſint neceſſarii, ut nutritio & augmentatio in homine, ſive liberi, ut gubernatio. Providentia moralis eſt, quæ dirigit ad opera moralia ſive bona ſive mala. Sic ille. 239. *Diviſio providentiæ in Monaſticam, Oeconomicam, & Politicam.* Felix.

Porrò diffic. 2. n. 1. negat in Deo eſſe providentiam Monaſticam de ſeipſo, & de omnibus, quæ ſunt ad intra; nam omnia iſta ſunt neceſſaria, & providentia ſolùm eſt de contingentibus. 240. *An Monaſtica ſit in Deo.*

Si dixeris: Deus habet providentiam de creaturis; ſed Deus eſt finis creaturarum, & finis cadit ſub providentia; ergo Deus habet providentiam de ſeipſo. Reſpondet: finem ultimum non provideri, ſed media providentur, ut veniant ad finem. Notanter dixi: *Finem ultimum*; nam de fine non ultimo providentia eſt. Ita Felix juxta ſua principia, de quibus alibi diſputavimus. Addit tamen; quòd quàmvis Deus, ut eſt finis creaturarum, cadat ſub providentia, adhuc non eſt providentia de intrinſecis Dei: nam ut finis dicit Deus reſpectum ad extra. Et hactenus quidem de diviſione, deque qualitate, ac de tota divinæ providentiæ ratione in communi. Sequitur. *Non eſt providentia de intrinſecis Dei.*

# SECTIO SECUNDA
## DE PROVIDENTIA SUPERNATURALI.

1. AD partes divinæ providentiæ deſcendendo, primò agendum eſt de providentia ſupernaturali, quã Deus communiter habet circà creaturam rationalem, ordinandam in finem ſupernaturalem, ſeu beatitudinem ſempiternam, quæ in Dei viſione & fruitione conſiſtit. Talem autem providentiam dari, certum eſt, tum ex Scripturis, quæ teſtantur, aliquos Angelos & homines eſſe ad beatitudinem electos, tum ex illis, quæ generaliter aſſerunt, Deum velle omnes homines ſalvos fieri; quæque docent, Deum eſſe paratum omnibus conferre gratiam, & ſupernaturalem ſanctitatem; ac velle voluntate ſigni, ſeu præcipere, ut omnes talem ſanctitatem habeant: junctis Scripturis, quæ ajunt, per gratiam ſanctificantem hominem acquirere jus ad vitam æternam. *Omnis creatura rationalis eſt ordinata ad vitam æternam.* *Probatio ex Script.*

Sanè nulla fuit ratio, aliquam creaturam rationalem excipiendi, quandoquidem omnis foret capax beatitudinis, & nulla abſque illa poſſet ſatiari; Deus autem non ſolet aliquam rem excludere à conſecutione finis, cujus eſt capax, & ſine quo manet inſatiata & imperfecta, quando aliquam ejuſdem generis de facto promovet in eum finem. Adde: quòd ea, quæ de gratia ac gloria ſeu beatitudine hominum Scriptura revelavit, ad Angelos ſint extendenda, niſi ratio vel auctoritas obſtet. Sicut ergo primis parentibus Adamo & Evæ abundantiſſimè proviſum 2. *Probatio ex ratione.* *Ante lapſũ fuit proviſũ hominibus de mediis neceſſariis. Etiam Angelis.*

fuit pro ſtatu innocentiæ ſeu naturæ integræ de mediis neceſſariis ad promerendam ſalutem æternam,ad quam à Deo ordinati erant(proviſum, inquam , pro ſe & ſuis poſteris ) cur non indidem Angelo pro ſtatu ſuæ viæ ? Siquidem nullum ſalutis impedimentum pati poterat ; neque ob demeritum peccati, vel aliam rationem erat,cur illi Deus ſubtraheret media,proximè & adæquatè ſufficientia ad ſalutem promerendam.

3. *An ſimiliter poſt lapſum.* Atque in hac veritate D D. omnes Catholici facilè conveniunt, quamvis magna controverſia ſit;utrum poſt lapſum primorum parentum, non obſtante demerito peccati, Deus ex miſericordia ſua providerit omnibus hominibus media neceſſaria ad ſalutem. Dico: *Ex miſericordia*; quia, ut eleganter D, Aug. Enchir.c. 27. *Si quidem* (Deus) *in melius hominum reformationem nullam prorſus eſſe voluiſſet, ſicut impiorum nulla eſt Angelorum,nonne meritò fieret, ut natura, quæ Deum deſeruit, quæ præceptum ſui Creatoris, quod cuſtodire facillimè poſſet,ſuâ malè utens poteſtate, calcavit atque tranſgreſſa eſt .... univerſa in æternum deſereretur ab eo, & pro ſuo merito pœnam penderet ſempiternam ? Planè ita faceret, ſi tantùm juſtus, non etiam miſericors eſſet, ſuamque indebitam miſericordiam multò evidentiùs in indignorum potiùs liberatione monſtraret.* (S. Aug.)

*Quid diſtet inter malos homines & dæmones, ex S. Proſp.* Jure ergo meritiſſimo dixit S. Proſp. Reſp. ad object. 6. Vincent. *Hoc inter malos homines diſtat & dæmones, quòd hominibus etiam valde malis ſupereſt, ſi Deus miſereatur reconciliatio: dæmonibus autem nulla eſt in æternum ſervata converſio.* Sed nunquid omnium hominum Deus miſeretur? Pro reſolutione Dico Primo:

## CONCLVSIO I.

### Poſt Adæ lapſum Deus ita providit omnibus hominibus media ſufficientia ad ſalutem, ut nulli ea neget.

4. *Inter media ſalutis eſt gratia interior.* Inter media ad ſalutem ſufficientia eminet interior gratia. Hæc alia præveniens ſeu excitans, quæ datur ad primum, eumque ſæpe infirmum voluntatis motum eliciendum : alia adjuvans, quæ jam volenti tribuitur,ut fortiùs velit, & poſſit implere quod voluit. Dum homo gratiam prævenientem negligit, aut repellit,non accipit adjuvantẽ. In lege quoque veteri dabatur gratia præveniens,ſimul cum lege.

*Alia intellectûs alia voluntatis* Gratia illa præveniens vel eſt cognitio cœlitùs infuſa intellectui, vel pius motus à Deo voluntati impreſſus: S S. Patres enim explicant eam per illuſtrationem , pulſum cordis &c. quibus dicunt hominem moveri ad implenda divina mandata, & declinanda peccata. Aug. audite homil. 23.c.6. *Adulter non fuiſti in illa tua vita præterita, plenâ ignorantiâ : nondum illuminatus, nondum bonum malumque diſcernens, nondum credens in illum,qui te neſcientem regebat. Hoc tibi dicit Deus tuus,regebam te mihi,ſervabam te mihi. Vt adulterium non committeres ſuaſor defuit; vt ſuaſor deeſſet,ego feci. Locus & tempus defuit, & ut hæc deeſſent, ego feci. Adfuit ſuaſor,non defuit locus, non defuit tempus : ut non conſentires, ego terrui. Agnoſce ergo gratiam ejus, cui debes, & quod non admiſiſti.* (S. Aug.)

Sicuti Deus incutit voluntati infideli timorem quo prohibeatur malus conſenſus,ſic etiam quo bonus eliciatur juxta S. Proſp. l. 2. de voc.gent, in titulo c.27.docentem conſenſum voluntatis per gratiam gigni, non ſolùm ex doctrina & illuſtratione; ſed etiam ex terrore & metu. Alios inſuper motus inſpirat Deus cordibus etiam infidelium ad fidem, ſpem & charitatem. Ad fidem quidem, ait S. Aug.l.1. ad ſimpl.q.2. *fiunt inchoationes quædam fidei conceptionibus ſimiles.* Idem in ſpe & charitate locum habet: & uti ad fidem revocatur quælibet Dei cognitio cœlitùs infuſa;ita ad ſpem & charitatẽ pleræque voluntatis motiones indeliberatæ circà Deũ. Gratia præveniens dividi ſolet in ſufficientem & efficacem: & tunc gratia præveniens dicitur ſufficiens, quando tales vires præbet voluntati,quibus etſi poſſet conſentire, equidem non conſentit voluntas; gratia adjuvans potiùs tenet ſe per modum concurſûs.

Per gratiam prævenientem & adjuvantem, fit homo potens declinare à malo & facere bonum. Poteſtas proxima dicitur, quæ omnia gratiæ auxilia ad bene agendũ neceſſariâ complectitur. Remota verò,cui etſi plurima deſint, habet tamen gratiam quâ orare, ſicut oportet; atque adeò omnia alia gratiæ auxilia certò impetrare poſſit. Qui remotam tantùm habet poteſtatem, etſi abſolutè & ſimpliciter poſſit mandata implere ; rectè tamen dicitur quandoque non poſſe;proximè nimirum & immediatè. Ponamus enim quòd talis conetur immediatè mandatum exequi,ſentiet ſe non poſſe: nam cùm gratia, quâ poteſtas illa conſtituitur,orationem proximè reſpiciat,& ad preces fundendas data ſit ; hic homo neglectâ oratione ad id, quòd agendum præcipitur, accedit, tumque ſuâ experientiâ diſcit, ſe tanto oneri needum parem: quod aliter accideret,ſi primò oraret; nam tunc ſufficientem ad orandum gratiam ſibi adeſſe, & poſt orationem neceſſaria ad mandatum implendum auxilia ſe impetraſſe cognoſceret. Dum S. Aug. etiam juſtis perſeverandi poteſtatem negare videtur, ſolam poteſtatem proximam negat:quocum ſtat, quòd remotam det. *Mori* (inquit tract. 96.in Joannem) *pro Chriſto nondum erant idonei tunc Apoſtoli, quibus dicebat: non poteſtis* proximè *me ſequi modò. Vnde primus eorum Petrus, qui hoc jam ſe poſſe præſumpſerat, aliud expertus eſt, quàm putabat.*

Notari hic meretur, quòd varii ſint gradus gratiæ, uti & deſertionis. Alia gratia parcior & occultior, de qua S. Proſper l. 2. de voc. gent; c.23. alia plenior & evidentior, de qua S. Aug. l. 1. ad ſimplic. q. 2. circà initium. Varii ſimiliter gradus deſertionis: primus, quo Deus deſerit hominem, jam à ſtatu gratiæ in

peccatum

peccatum mortale prolapſum, ſubtrahendo gratiam largiorem, quam juſto impertiebatur, & dando tenuiorem ac parciorem tantùm. Secundus gradus eſt, cum Deus eundem hominem jam plurimis & graviſſimis implicatum peccatis rurſus deſerit lubtractione gratiæ tenuioris, quam adhuc largiebatur, cum in pauciora peccata caderet, & ſolam dat ſufficientem remotiſſimam & tenuiſſimam. Tertius gradus deſertionis totalis eſt proprius damnatis.

*Omnibus hominibus ſunt parata media remotè ſufficientia.*

8\. His præmiſſis conſtat apud Doctores, omnibus parata eſſe media remotè ſufficientia; ut ſunt merita Chriſti; nam omnibus promeruit gratiam & gloriam; item, prædicatio Euangelii per totum mundum, & ante eam prędicatio viæ ſalutis per Patriarchas & Prophetas; Miniſtri denique Sacramentorum, & ſimiles cauſæ remotæ, ad ſalutem neceſſariæ, vel utiles, ut ſunt bona exempla &c. Sed quoniam, quod ita remotè tantùm ſufficit, ſimpliciter non dicitur ſufficere ad aliquem finem; ideò movetur difficultas; an omnibus ita paratum ſit auxilium proximè ſufficiens, ut nemini ex parte Dei denegetur; ſub auxilio nunc comprehendendo non modò quidquid interiùs per modum actûs vel habitûs ad acquirendam ſalutem neceſſarium eſſe poteſt; ſed etiam cauſas & occaſiones extrinſecas, ad ſalutem conſequendam requiſitas.

*An etiam auxilium proximè ſufficiens.*

9\. Non eſt autem controverſia; utrùm tale auxilium proximè & adæquatè ſufficiens omnibus detur: nam experientiâ conſtat non omnibus dari. Quid ergo quæritur? Utrùm tale auxilium aliquibus non ſolùm non detur; ſed etiam non detur ex parte Dei, quod eſt propriè negari à Deo. Sunt enim hæc in rigore loquendi diverſa; Deum ſcilicet non dare quidpiam & Deum aliquid denegare. Illud quippe ſolùm importat non poſitionem effectûs Dei, undecumque illa proveniat; hoc verò importat non poſitionem effectûs Dei, etiam ex parte Dei, ita ut, quàmvis aliæ cauſæ ad effectum ponendum ſint ſatìs diſpoſitæ; Deus tamen nolit ex ſua parte concurrere ad poſitionem effectûs. Et ita inquiritur hoc loco, an, etiamſi aliæ cauſæ ad præſtandum homini auxilium ſalutis præſtò ſint, Deus nolit tale auxilium conferre, vel etiam impediat convenientem ſaluti hominis cauſarum diſpoſitionem.

*Aliud eſt non dari, aliud negari tale auxilium.*

*Nulli negatur.*

10\. Hoc prænotato, Concluſio noſtra, teſte Smiſ. tr. 3. diſp. 6. n. 124. eſt communis Theologorum, quod ibi & numeris ſeqq. diffusè oſtendit. Fundatur autem maximè in iis Scripturis, in quibus generaliter dicitur, Deum velle omnes homines ſalvos fieri, etiam poſt lapſum Adami; tales ſunt 1. Timoth. 2. v. 3. & 4. *Hoc enim bonum eſt & acceptum coram Salvatore noſtro Deo, qui omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Joan. 1. v. 9. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Item Matth. 11. v. 28. *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* 2. Pet. 3. v. 9. *Non tardat Dominus promiſſionem ſuam, ſicut quidam exiſtimant; ſed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti.* 1. Joan. 2. Jeſus dicitur *propitiatio pro peccatis noſtris, & totius mundi.*

*Fundatur Concluſ. in diverſis Scripturis.*

Porrò ad veritatem harum, & ſimilium Scripturarum videtur requiri, ut Deus non deneget gratiam ſufficientem, ſive fideli ad implenda mandata, obligantia ſub mortali; ſeu infideli ad ſuſcipiendam veram fidem; aut peccatori ad pœnitentiam; vel juſto ad perſeverantiam; ſeu denique parvulo ad receptionem Baptiſmi. Quomodò namque dici quis poteſt velle alicujus ſalutem, ſi non ſolùm non det media neceſſaria ad ſalutem; ſed etiam, quantùm ex ſe eſt, poſitivè & ex intentione illa ſubtrahat, &, aliis cauſis ad effectũ ponendũ ſatìs diſpoſitis, nolit ex ſua parte concurrere ad poſitionẽ effectûs?

*Ad earum veritatem requiritur, ut Deus nulli deneget gratiam ſufficientẽ.*

Quòd autem dictæ Scripturæ generaliter ſint intelligendæ, vel ſaltem intelligi poſſint de omnibus omninò hominibus, & non de ſolis prædeſtinatis, ſup. latè oſtendimus, agendo de voluntate antecedente & conſequente. Vide Diſp. præced. Sect. 4. Concluſ. 3. & 4. Addam hìc, quæ ibi ſunt omiſſa, & ad rem faciunt in primis, quod legitur Proverb. 1. v. 20. & ſeqq. *Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem ſuam. In capite turbarum clamitat, in foribus portarum urbis profert verba ſua dicens: Vſquequò parvuli diligitis infantiam, & ſtulti ea, quæ ſibi ſunt noxia, cupient, & imprudentes odibunt ſcientiam? Convertimini ad correptionem meam, en proferam vobis ſpiritum meum, & oſtendam vobis verba mea; quia vocavi & renuiſtis.* In quo teſtimonio (inquit Theodorus ſup. n. 158.) primùm continetur ita generalis invitatio, ut nullum locum, nullum hominem excludat. Deinde ita, ut non modò ſcientiam oppoſitam ſtultitiæ morum; ſed etiam oppoſitam infidelitati comprehendat; nam infideles propriè *Infantes & parvuli* dici poſſunt, cùm finem, in quem ordinati ſunt, & ad quem tendere deberent, ignorent; haud ſecùs ac parvuli vitam & actiones ſuas neſciunt ordinare. *Spiritus* quoque Dei, quem parvulis omnibus offert hoc loco divina Sapientia, maximè intelligitur eſſe ſcientia ſalutis & fides. Sic ille. 11.

*Adducitur Script. Proverb. 1.*

*Expenditur à Theod.*

Appoſitè D. Dionyſ. cap. 9. de Cæleſti Hiërarch. *Cùm* (inquit) *radius ille divinus unus ac ſimplex ſit, eodemque modo ſe habeat ſuper omnia ſemper explicitus: nempe enim & aliis Gentibus, ex quibus & nos ad immenſum & infinitum divini luminis pelagus (quod paratum ſemper eſt, & patet omnibus ad participandum) ex præterita erroris cæcitate reſpiravimus; nunquam præfuerunt alieni Dii, ſed unum illud omnium ac ſingulare principium.* Et infrà: *Sed quòd una illa quidem Altiſſimi in cunctis providentia mortales omnes in ſalutem Angelorum ſuorum ductibus ad ſe pervehendos diſtribuerit.*

*Conſonat D. Dionyſius.*

Eandem veritatem diſertè tradit D. Chryſoſt. Homil. 7. in Joan. dicens: *Gratia in omnes diffuſa eſt, non Iudæum, non Græcum, non Barbarum, non Scytham, non liberum, non ſervum, non virum, non mulierem, non ſenem, non juvenem effugit aut dedignatur; omnibus eadem eſt, omnibus ſe facilem exhibet, omnes pari honore advocat: qui autem ejus munere frui negligunt, hanc ſuam cæcitatem ſibi ipſis imputent.*

*Subſcribit S. Chryſoſt.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

12. Et late S.Aug.

Magnus gratiæ Doctor S.Aug. non tantùm probat dari omni homini lapſo gratiam ſufficientem tantùm: id eſt, hominis culpâ effectu ſuo carentem, ex voluntate Dei generali ſalvandi omnes & morte Chriſti pro omnibus, de quibus alibi: ſed & variis aliis viis. Et Primò quidem, ex interiore pugna gratiæ, & concupiſcentiæ, in qua aliquando ita vincit gratia, ut concupiſcentia nullum, ne tenuiſſimum quidem, excitet voluntatis conſenſum deliberatum.

*Pugna gratiæ & concupiſcentiæ.* S. Aug.

Teſtis S.Aug. l.1. de pecc. Mer. c.39. dicens de homine lapſo: *ſi ad ætatem capacem præcepti pervenire potuerit, ibi habet* concupiſcentiam, *cum qua pugnet, eamque adjuvante Deo ſuperet* ex toto, *ſi non in vacuum gratiam ejus ſuſceperit, ſi reprobus eſſe noluerit: nam nec grandibus hoc præſtatur in baptiſmo (niſi fortè miraculo ineffabili omnipotentiſſimi Creatoris) ut lex peccati . . . penitus extinguatur, & non ſit.* Et l.6. contra Jul. c.23 dicit: *in illis Apoſtoli vocibus* (ſcio quia non habitat in me, hoc eſt in carne mea bonum &c,) *gemitum eſſe Sanctorum contra carnales concupiſcentias dimicantium. Qui cùm mente ſint ſpiritales . . . rectè adhuc intelliguntur ea parte captivi ſub lege peccati, quæ deſideriorum, quibus non conſentiunt, motibus ſubjacet.*

*Aliquando vincit gratia,*

*Hinc factum eſt ut ſic iſta intelligerem, quemadmodùm intellexit Hilarius, Gregorius, Ambroſius, & cæteri Eccleſiæ ſancti notique Doctores, qui & ipſum Apoſtolum adversùs carnales concupiſcentias, quas habere nolebat, & tamen habebat, ſtrenuè conflixiſſe, eundemq; conflictum ſuum illis ſuis verbis conteſtatum fuiſſe ſenſerunt.* Et paulò poſt: *vivit Chriſtus in nobis, ſi & ad pugnam contra concupiſcentias exercendam, & ad victoriam uſque ad conſumptionem eorumdem hoſtium capeſſendam, in illo fidimus, non in nobis.* Et ſtatim: *cùm dicat* Apoſt. non ego operor illud; *oſtendens concupiſcentias carnis ſolum impulſum libidinis operari ſine conſenſione peccati.* Vis plura? ipſum

*Concil. Trid.*

Concil. Trid. ſeſſ. 5. can. 5. de concupiſcentia ait: *quæ cùm ad agonem relicta ſit, nocere non conſentientibus, ſed viriliter per Ieſu Chriſti gratiam repugnantibus non valet: quin imò qui legitimè certaverit coronabitur.* Et noli mirari quòd non noceat non conſentientibus, cùm Trid. ibidem ſub anathemate definiat, quòd verè & propriè in renatis peccatum non ſit.

13. *Aliquando vincit concupiſcentia.*

Uti gratia aliquando vincit ex toto in Sanctis, ita aliquando concupiſcentia vincit ex toto in peccatoribus, ſignanter conſuetudinariis: ſic quòd gratia nullum, ne tenuiſſimum quidem, reſiſtentiæ motum deliberatum excitet in voluntate.

S.Aug,

Ita ſupponit S. Aug. l. 6. contra Jul. c.23. ſupra: *de iis, quos ita haberet carnis concupiſcentia ſubjugatos, ut facerent quicquid illa compelleret.* De impiis quoque dicit initio Præfat. in Pſ. 124: cum hæc gratia impiorum animos pulſat, *cor eorum congelaſcit adversùs Deum, & fit durum adversùs imbrem gratiæ ipſius, ne fructum ferat.* Idem latiùs patebit ex altera Aug. via, quâ probat dari gratiam ſufficientem tantùm.

14.

Secundâ viâ proprium Adultorum peccatum in eo ponit S.Doctor, quòd gratiam Dei contemnant ac repudient. l. 3. de lib. Arb. c. 19: *Cùm ubique ſit præſens, qui multis modis per creaturam ſibi Domino ſervientem averſum revocet, doceat credentem, conſoletur ſperantem; diligentem exhortetur, conantem adjuvet, exaudiat deprecantem: non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras; ſed quod negligis quærere quod ignoras: neque illud, quòd vulnerata membra non colligis, ſed quòd volentem ſanare contemnis. Iſta tua propria peccata ſunt.* Eadem habet poſt exortam hæreſim Pelagianorum: l. de nat. & grat. c. 67. loquitur autem S.Doctor de gratia interiore, ea ſcilicet, quâ *credimus, ſperamus, diligimus, conamur, deprecamur.* In Pſ. quoque 63. ſub finem ait: *Nonne erit pluvia illa* (gratiæ interioris) *teſtis in judicio Dei & dicet: ego dulcis ſuper omnia veni? tu ergo quid proferas vide, & quid tibi paretur attendas. Profers frumentum, horreum ſpera: profers ſpinas, ignem.* Et ſerm. 67. de tempore: *cur ingrate redemptionis tuæ munera renuiſti?* accedat S. Proſper lib. 1. de voc. gent. cap. 9. inquiens: *Quàmvis magna pars hominum ſalvantis gratiam aut repellat aut negligat.* Negligere & repellere ſimpliciter ſine addito, eſt negligere totaliter gratiam, & reſiſtere gratiæ ex toto. Nec dubitandum, quin hæc fuerit mens S.Aug. S.Proſp. & Catholicorum: videbant enim Infideles multos permanere in infidelitate, qui tamen intereà ſæpe habent gratiam fidei, cui reſiſtunt ex parte, dum non credunt. Videbant peccatores multos non converti, ſed inſordeſcere; qui tamen intereà ſæpe habent gratiam converſionis, cui reſiſtunt ex parte ſaltem, dum non convertuntur. Videbant permultos juſtos labi in grave peccatum, qui tamen habebant gratiam perſeverandi, cui reſiſtunt ex parte ſaltem, dum non perſeverant. Ultra hanc partialem adſtruebant SS. Patres negligentiam totalem, & reſiſtentiam totalem.

Tertiâ viâ diſtinguit S. Aug. gratiam ſeu vocationem interiorem in congruam & incongruam. Audiatur l.1.ad Simpl. q.2. *Illi . . . electi, qui congruenter vocati. Illi autem, qui non congruebant, neque contemperabantur vocationi, non electi, quia non ſecuti, quàmvis vocati . . . . etiamſi multos vocet, eorum tamen miſeretur, quos ita vocat, quomodò eis vocari aptum eſt, ut ſequantur.* Iterum: *cujus miſeretur, ſic eum vocat, quomodò ſcit ei congruere, ut vocantem non reſpuat.* Plura ſimilia habet ibi de gratia ſeu vocatione interiori. Quòd autem de hac agat, patet ex l. 2. retract. c. 1. ubi recognoſcens hunc locum ait: *in cujus quæſtionis ſolutione laboratum eſt quidem pro libero arbitrio voluntatis humanæ, ſed vicit Dei gratia: nec niſi ad illud perveniri potuit, ut liquidiſſima veritate dixiſſe intelligatur Apoſtolus* 1. Cor. 4. *quis enim te diſcernit?* gratia enim diſcernens ſeu victrix ſecundùm omnes eſt gratia interior voluntatis.

Hanc gratiam requirit S. Aug. ad Simp. ſupra, *quia voluntas hominis ſola non ſufficit, ut juſtè rectèque vivamus, niſi adjuvemur miſericordiâ Dei.* Et iterum: *vocatio iſta eſt effectrix bonæ voluntatis . . . voluntas ipſa, niſi aliquid occurrerit, quod delectet atque invitet animum, moveri nullo modo poteſt*

ſeſt. Addatur S. Aug. de Prædeſt. SS. cap. 16. *Vocat Deus prædeſtinatos multos filios ſuos, ut eos faciat membra prædeſtinati unici filii ſui, non eâ vocatione, quâ vocati ſunt, qui noluerunt venire ad nuptias* (ecce repellentes gratiam, & gratiæ interiori totaliter reſiſtentes) *illa quippe vocatione & Iudæi vocati ſunt, quibus Chriſtus crucifixus ſcandalum eſt: & gentes, quibus Chriſtus crucifixus ſtultitia eſt: ſed eâ vocatione prædeſtinatos vocat, quam diſtinxit Apoſtolus dicens* cor. 1. v. 24. *ipſis vocatis &c. ſciens eſſe certam vocationem eorum qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt.* Quam & ita deſcribit: *qua vocatione fit credens.* Agnoſcit in his clarè S. Aug. gratiam congruam & victricem, & gratiam incongruam, rejectam & merè ſufficientem.

*Quæ ſæpe ex toto repellitur.*

17. *Congrua nunquam caret effectu S. Aug.*

Dum S. Aug. alibi dicit: nullam gratiam carere ſuo effectu, de ſola gratia congrua, efficaci & victrice loquitur: ſive detur ad imperfectum tantùm conſenſum, uti ſæpe fit: ſive ad perfectum. ita loquitur de corr. & grat. c. 12, circà finem: *tantùm quippe Spiritu ſancto accenditur voluntas eorum, ut ideò poßint, quia ſic volunt: ideò ſic velint, quia Deus operatur ut velint: nam ſi in tanta infirmitate vitæ hujus, in qua tamen infirmitate propter elationem reprimendam perfici virtutem oportebat; ipſis relinqueretur voluntas ſua, ut in adjutorio Dei, ſine quo perſeverare non poſſent, manerent ſi vellent, nec Deus in eis operaretur ut vellent: inter tot & tantas tentationes infirmitate ſua voluntas ipſa ſuccumberet, & ideò perſeverare non poſſent, quia deficientes infirmitate nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis ut poſſent.* Patet quòd aſſerat impotentiam in ſenſu compoſito tantùm, quo agens non vult, vel non ſatis vult, & neceſſitatem impedibilem per voluntatem, licèt difficulter; deinde concludit: *ſubventum eſt ergo infirmitati voluntatis humanæ, ut divinâ gratiâ indeclinabiliter & inſuperabiliter* (in exemplari Pariſienſi de anno 1555. legitur *inſeparabiliter,*) *ageretur, & ideò quàmvis infirma non deficeret, neque adverſitate aliqua vinceretur. Ita factum eſt, ut voluntas hominis invalida & imbecillis in bono adhuc parvo perſeveraret per virtutem Dei, cùm & voluntas primi hominis fortis & ſana in bono ampliore non perſeveraverit, habens virtutem liberi arbitrii, quàmvis non defuturo adjutorio Dei, ſine quo non poſſet perſeverare ſi vellet, non tamen tali, quo in illo Deus operaretur ut vellet. Fortißimo quippe dimiſit atque permiſit facere quòd vellet: infirmis ſervavit, ut ipſo donante invictißimè, quod bonum eſt, vellent: & hoc deſerere invictißime nollent.* Idem habet alibi, dum ait: abſit ut quiſquam non veniat, qui à Patre audivit & didicit. Item: hæc gratia á nullo duro corde reſpuitur, ideò quippe tribuitur, ut cordis duritia penitus auferatur. Ab Auguſtino ad Proſperum eamus.

*Effectus ponitur liberè.*

*Tamen indeclinabiliter & inſuperabiliter, ut Aug.*

18. *S. Proſper pluribus locis docet generalem gratiam.*

Generalitatem gratiæ docet S. Proſp. lib. 2. de Vocat. Gent. c. 14. in fine, & cap. 15. in principio (juxta editionem Lovan. quam ferè ubique ſequor) *Neque ob hoc excuſabiles ſint nationes, quæ alienatæ à converſione Iſræl, ſpem non habentes, & ſine Deo in hoc mundo ſub ignorantiæ tenebris perierunt; quia hæc abundantia gratiæ, quæ nunc univerſum mundum rigat pari anteà largitate non fluxit. Adhibita enim ſemper eſt univerſis hominibus quædam ſupernæ menſura doctrinæ, quæ etſi parcioris occultioriſque gratiæ fuit, ſufficit tamen, ſicut Dominus judicavit, quibusdam ad remedium, omnibus ad teſtimonium.* c. 25. *Fuerunt enim ac ſunt hujuſmodi dona ita generalia, ut per ipſorum teſtimonia ad quærendum verum Deum poſſent homines adjuvari, quibus donis auctorem ſuum per omnia ſæcula proteſtantibus, ſpecialis gratiæ largitas ſuperfuſa eſt. Quæ licèt copioſiùs nunc, quàm antè præſtetur, cauſas tamen diſtributionũ ſuarùm Dominus apud ſcientiam ſuam tenuit, & intra ſecretum potentißimæ voluntatis occuluit.* Et poſt pauca: *Deo autem placuit & hanc* (gratiam ſpecialem) *multis tribuere, & illam* (gratiam generalem) *à nemine ſubmovere, ut ex utraque appareat, non negatum univerſitati, quòd collatum eſt portioni; ſed in aliis prævaluiſſe gratiam, in aliis reſiluiſſe naturam.* c. 28. *Fit manifeſtum, quòd diverſis atque innumeris modis, omnes homines vult Deus ſalvos fieri; & in agnitionem veritatis venire; ſed qui veniunt Dei auxilio diriguntur: qui non veniunt ſuâ pertinaciâ reluctantur.* cap. 29. in fine: *Vniverſitati quippe hominum (quod abundè probavimus) ita multiplex atque ineffabilis bonitas Dei conſuluit ſemper & conſulit; ut neque ulli pereuntium excuſatio ſuppetat de abnegato ſibi lumine veritatis, neque cuiquam ſit liberum de ſua juſtitia gloriari; cùm & illos propria nequitia demergat ad pœnam, & iſtos Dei gratia perducat ad gloriam.* cap. 31. *Elaboratum eſt quantùm Dominus adjuvit, ut non ſolùm in novißimis diebus, ſed etiam in cunctis retrò ſæculis probaretur, gratiam Dei omnibus hominibus adfuiſſe, providentia quidem pari, & bonitate generali; ſed multimodo opere, diverſaque menſurâ: quoniam ſive occultè, ſive manifeſtè ipſe eſt (ut Apoſtolus ait) Salvator omnium hominum, maximè fidelium. Quæ ſententia ſubtilißimæ brevitatis & validißmi roboris. ſi tranquillo conſideretur intuitu, totam hanc (de qua agimus) controverſiã dirimit. Dicendo enim: qui eſt ſalvator omnium hominum, confirmavit bonitatem Dei ſuper omnes homines eſſe generalem; adjiciendo autem: maximè fidelium, oſtendit eſſe partem generis humani, quæ meritò fidei divinitùs inſpiratæ ad ſummam atque æternam ſalutem ſpecialibus beneficiis provehatur.*

Hinc Doct. Angel. 2. Sent. diſt. 28. q. 1. a. 4. ad 4. *Dicitur, quòd ſi aliquis in barbaris natus nationibus, quod in ſe eſt, faciat, Deus ſibi revelabit illud, quod eſt neceſſarium ad ſalutem, vel inſpirando vel doctorem mittendo.* Et q. 14. de Veritate a. 11. ad primum: *Si quis taliter* (id eſt in ſylvis vel inter bruta animalia) *nutritus ductum rationis ſequeretur in appetitu boni, & fuga mali, certißimè tenendum eſt, quòd ei Deus vel per internam inſpirationem revelaret ea, quæ ad credendum ſunt neceſſaria, vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret, ſicut miſit Petrum ad Cornelium* Act. 10. Et ad 2. ait: *Quàmvis non ſit in poteſtate noſtra cognoſcere ea, quæ ſunt fidei ex nobis ipſis; tamen ſi nos fecerimus, quod in nobis eſt, ut ſcilicet ductum naturalis rationis ſequamur, Deus non deficiet nobis*

19. *Quid ſenſerit de hac re S. Tho.*

in

*in eo, quod nobis eſt neceſſarium.* Similiter loquitur qu. 24. a. 1, ad 2. *Gratiam autem, quæ opera meritoria facit, quàmvis homo non poſſit ex libero arbitrio acquirere; poteſt tamen ſe ad gratiam habendam præparare, quæ ei à Deo non denegabitur, ſi fecerit quod in eo eſt.* Et 3. contra Gentes cap. 159. *Deus* (inquit) *quantùm in ſe eſt, paratus eſt omnibus gratiam dare ..... ſed illi ſoli gratiâ privantur, qui in ſeipſis gratiæ impedimentum præſtant.* & lect. 3. in c. 10. ad Rom. *ſi qui tamen eorum feciſſent quod in ſe eſt, Dominus eis ſecundùm ſuam miſericordiam providiſſet, mittendo eis prædicatorem fidei, ſicut Petrum Cornelio Act. 10. & Paulum Macedonibus, ut habetur Act. 16. ſed tamen hoc ipſum, quòd aliqui faciunt quod in ſe eſt, convertendo ſe ſcilicet ad Deum, ex Deo eſt movente corda ipſorum ad bonum.*

20. *Quinam gratiæ impedimentũ præſtent.* Et amabo, qui ſunt illi, qui in ſeipſis gratiæ impedimentum præſtant? Qui iſti, qui faciunt quod in ſe eſt, & ideò accipiunt ulteriorem gratiam, quæ proximè ſufficiat ad ſuſcipiendam fidem? Reſpondetur ex verbis D. Thomæ jam recitatis; qui ductum rationis naturalis ſequuntur in appetitu boni, & fuga mali, hi ſunt, qui faciunt quod in ſe eſt; at verò qui contra ductum rationis naturalis, ſeu contra lumen naturæ peccata peccatis aggravant, hi ſunt, qui in ſeipſis gratiæ impedimentum præſtant; & ideò nunquam accipiunt gratiam proximè ſufficientem ad fidem veram ſupernaturalem ſuſcipiendam. *Apoſtolus.* De his loquitur Apoſt. Rom. 1. v. 21. *Quia cùm cognoviſſent* (aut certè cognoſcere potuiſſent) *Deum* (ex creaturis) *non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt: ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum: dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt. Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentium. Propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum in immunditiam &c.* *Quomodò intelligendũ facienti quod in ſe eſt, Deus non denegat gratiam.* Et quoniam ſine gratia Dei infideles ductum rationis, ſaltem diu, & in omni appetitu boni, & fuga mali ſequi nequeunt, ſed moraliter neceſſè eſt, ut ſæpiùs in peccata prolabantur, hinc commune dictũ: *Facienti, quòd in ſe eſt, Deus non denegat gratiã*, intelligi debet, non de faciente quod in ſe eſt ex ſolis viribus naturæ; ſed de faciente quod in ſe eſt cum auxilio gratiæ: licèt quippe peccata futura non vitentur, niſi voluntas adſit, tamen ſola voluntas non ſufficit, ut benè notat D. Aug. l. de Nat. & grat. c. 18. Et aliàs incideremus in errorem Semipelagianorum, qui dicebant hominem conando, deſiderando, & petendo per ſolas vires naturæ promereri gratiam neceſſariam ad ſalutem.

21. *An facienti per vires naturales.* Smiſing. Quapropter dum aliqui DD. Catholici dicunt: facienti quod in ſe eſt ex naturalibus, Deum non denegare gratiam ſupernaturalia (inquit Smiſ. ſup. nu. 194.) non intelligunt ſolas connaturales liberi arbitrii vires; ſed illas cum auxilio ſpeciali in ſubſtantia naturali, in modo tamen, ſeu ex intentione proviſoris Dei, pertinente ad ordinem gratiæ; ſine quo auxilio lex naturæ diu obſervari non poteſt, quin homo contra illam mortaliter peccet, & mereatur ſubſtractionem gratiæ congruæ in ſubſtantia ſupernaturalis, & ad legis ſupernaturalis obſervantiam requiſitæ: quam gratiam nomine gratiæ intellexerunt hi Doctores; auxilium verò illud ordinis gratiæ, naturale in ſubſtantia, vocant aliquando concurſum generalem, aliquando communem influentiam Dei, aliquando virtutem naturalem. Sic ille. Interim n. ſequenti fatetur, aptiùs dici: homini facienti, quod in ſe eſt cum auxilio gratiæ, Deum non denegaturum ulterius auxilium gratiæ congruum, quod ſufficiat ad ſalutem facilè conſequendam. Quod (inquit) ad varios hominum ſtatus cum proportione accommodari debet, ita ut intelligatur, homini infideli Deum non denegaturum gratiam ſupernaturalem ad ſalutem neceſſariam, ſi faciat cum auxilio gratiæ naturali in ſubſtantia, quod in ſe eſt ad obſervandam legem naturæ; fideli verò, facienti cum auxilio ſupernaturali in ſubſtantia quod in ſe eſt ad pœnitendum de peccatis, id eſt, oranti pro gratia pœnitendi, vel ad illam obtinendam miſericordiæ opera facienti, vel fugiendi occaſiones peccandi, & meliùs vivendi opportunitatem amplectenti, Deum daturum gratiam congruam ad pœnitentiam, & vitæ emendationem: ac denique jam juſtificato à peccatis, & facienti cum naturalibus & ſupernaturalibus auxiliis gratiæ quod in ſe eſt ad ſervandam legem naturalem, & ſupernaturalem; adeoque ad proficiendum in juſtitia, & perſeverandum in illa, Deum ad hunc effectum gratiam congruam præbiturum. Hactenus Theod.

Qui ibidem n, 199. rectè advertit, illam obſervationem legis naturæ in infidelibus non eſſe meritum gratiæ ſupernaturalis, vel diſpoſitionem ad illam; ſed ſolam remotionem obicis, ſeu impedimenti gratiæ ſupernaturalis, ob quod impedimentum Deus juſto judicio denegat gratiam ſupernaturalem quibuſdam infidelibus; licèt ſanè quibuſdam, idem impedimentum ponentibus, juxta inſcrutabile conſilium voluntatis ſuæ illam gratiam concedat. Plura de hac re vide apud d. Auctorem, alibi adhuc redibit eadem quæſtio. Hoc firmiter tene, dictum axioma non in ſolis infidelibus, ſed etiam in fidelibus locũ habere. Sicut ergo Deus homini infideli, facienti quod in ſe eſt juxta explicationem jam datam, non denegat gratiam etiã proximè ſufficientem ad fidem ſuſcipiendam; ſic itidem fideli peccatori, facienti quod in ſe eſt (ut ſtatim audivimus ex Smiſ.) non denegat gratiam, etiam proximè ſufficientem, ad veram pœnitentiam de mortalibus commiſſis. Et hinc Scriptura ſpecialiter & expreſſè quoſcumque peccatores, ſine alicujus exceptione, provocat ad pœnitentiam, ut Eccl. 5. v. 8. *Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem.* Iſaiæ 31. v. 6. *Convertimini ſicut in profundum receſſeratis filii Iſraël* Ezech. 33. v. 11. *Vivo ego dicit Dominus Deus, nolo mortem impii, ſed ut convertatur impius à via ſua, & vivat. Convertimini à viis veſtris peſſimis.*

Quid hæ, & aliæ, ſimiles Scripturæ aliud

clamant

clamant, quàm pœnitentiam peccatoribus quibuſcumque eſſe poſſibilem? Atque adeò Deum ipſis dare gratiam aliquo modo ſufficientem, quâ ſi benè uterentur, faciendo quod in ſe eſt, proximè ſufficientem acciperent, quâ etiam facilè pœniterent? Scitè dixit S. Proſ. ad Object. Vincent. Reſp. 15. *Non eſt conſequens, ut Deus, quibus pœnitentiam non dederit, reſipiſcentiam abſtulerit, & quos non levaverit, alliſerit: cùm aliud ſit, inſontem in crimen egiſſe, quod alienum eſt à Deo, aliud criminoſo veniam non dediſſe, quod de peccatoris eſt merito.* Ergo, ſi peccator voluiſſet, Deus veniam dediſſet; quia ad meritum in ſtatu naturæ lapſæ requiritur in homine libertas à neceſſitate: ad libertatem autem pœnitentiæ neceſſaria eſt gratia aliquo modo ſufficiens. Sed de hoc plura inferiùs, ubi de obſervatione mandatorum Dei.

S.Proſper.

Impræſentiarùm pergo ad perſeverantiam in fide & juſtitia. Juſti in Scriptura S. multoties monentur ad perſeverantiam: unde Deus iis providere vult de mediis ſufficientibus ad perſeverandum, inter quæ gratia ſufficiens. Hanc eis dari demonſtravit S. Auguſt. contra Pelagianos, dicendo l. de nat. & grat. c. 26. Deus *non deſerit* (juſtos) *ſi non deſeratur.* Quòd hìc agatur de deſertione per ſubtractionem gratiæ actualis, patet; nam de gratia habituali non diſputavit Auguſt. cum Pelagio, ſed de actuali, quâ adjuventur homines ad piè vivendum. Deinde agit Auguſt. de gratia adjuvante neceſſaria homini jam juſtificato ad perſeverandum. Hæc eſt actualis ultra habitualẽ, quâ juſtus præditus eſt: ajebat Aug. ſup. *Videtiſne quemadmodùm non dicat Pelagius neceſſariã miſericordiam Dei, ut non peccemus, ſed quia peccavimus.* Et reſp. *ſicut ... vulnere verbi gratiâ claudicans ideò curatur, ut, ſanato malo præterito, futurus dirigatur inceſſus: ſic mala noſtra non ad hoc ſolùm ſupernus medicus ſanat, ut illa jam non ſint, ſed ut de cætero rectè ambulare poſſimus; quod quidem etiam ſani non niſi illo adjuvante poterimus. Nã medicus homo cum ſanaverit hominẽ, jam de cætero ſuſtentandum elementis & alimentis corporalibus, ut eadem ſanitas apto ſubſidio convaleſcat atque perſiſtat, Deo dimittit: qui præbet iſta in carne viventibus, cujus erant etiam illa, quæ dum curaret, adhibebat.... ipſe autem Deus, cum per mediatorem Dei & hominum, hominem Ieſum Chriſtum ſpiritaliter ſanat ægrum, vel vivificat mortuum, id eſt, juſtificat impium; & cum ad perfectam ſanitatem, hoc eſt, ad perfectam vitam juſtitiamque perduxerit,* NON DESERIT SI NON DESERATUR, UT PIE SEMPER IUSTEQUE VIVATUR. *Sicut enim oculus corporis etiam pleniſſimè ſanus, niſi candore lucis adjutus, non poteſt cernere: ſic homo etiam perfectiſſimè juſtificatus, niſi æterna luce juſtitiæ divinitùs adjuvetur, rectè non poteſt vivere. Sanat ergo Deus non ſolùm ut deleat quod peccavimus, ſed ut præſtet etiam, ne peccemus.* Hoc præſtat Deus per gratias actuales, illud per habitualem. Præmiſerat quoque S. Auguſt. c. 22. *nec cogitat* (Pelagius) *prævaricatorem legis quàm dignè lux deſerat veritatis, quâ deſertus utique ſit cæcus.* c. 23. Pelagius *fortaſſe reſpondeat, Deum ad iſta non cogere, ſed dignos deſeri tantùm deſerere. Si hoc dicit,* ait Auguſt. *veriſſimè dicit.* Hæc afficiunt gratiam actualem tantùm, & deſertionem per ejus ſubtractionẽ.

Sed dum primò ab homine deſeritur.

S.Aug.

In Pſal. 145. hanc gratiam vocat auxilium: *Promittitur auxilium mortalis, & gaudes: promittitur immortalis, & triſtis es &c. non enim deſeret opus ſuum, ſi ab opere ſuo non deſeratur.* Similiter S. Proſper Reſp. 7. ad object: Vincent. cum de iis loquitur, *qui pietatem Chriſtianæ converſationis & Fidei deſerentes, in profanos errores aut in damnabiles mores irrevocabiliter tranſierunt,* addit: *ſed nullo modo credendum eſt, hujuſmodi homines in hanc deſperationem ex Dei voluntate cecidiſſe, cùm potiùs allevet Dominus omnes, qui corruunt, & erigat omnes eliſos. Nemo enim niſi illius gratiâ erigitur, nemo niſi illius gratiâ ſtabilitur. Dei ergo voluntas eſt, ut in bona voluntate maneatur; qui & priuſquàm deſeratur neminem deſerit, & multos deſertores ſæpè convertit.* Idem ſent. 7. ad Capitula Gallorum: *gratia tamen ejus non priùs eos deſeruit, quàm ab eis degereretur.* Quòd hic ſermo ſit de gratiâ actuali patet ex iis verbis: *nemo enim niſi illius gratia erigitur &c.* alio quoque loco dicit: *ſi autem ab his* (bonis ſtudiis) *receditur & ad vitia atque peccata tranſitur, nihil ibi Deus malæ tentationis immittit, & receſſurum non deſerit antequàm deſerat.* 25.

S. Aug.

*Hæc gratia vocatur auxilium.*

S.Proſper

*Per quod multos deſertores convertit Deus.*

Clariùs adhuc de auxiliis gratiæ actualis loquitur S. Auguſt. lib. 2. de peccat. mer. cap. 17. *Vt autem innoteſcat quod latebat, & ſuave fiat quod non delectabat, gratiæ Dei eſt, quæ hominum adjuvat voluntates: quâ ut non adjuventur, in ipſis itidem cauſa eſt, non in Deo.* Hæc verba recitat S. Fulgentius lib. 1. cap. 28. ad Monimum, & ſubjungit: *In iſtis S. Auguſtini dictis attende quæſo, mi Chariſſime, primùm, quia ut homines non adjuventur à Deo, in ipſis cauſa eſſe dicitur, non in Deo.* Quæro hìc: in juſto antequàm Deum deſerat per peccatum mortale, quæ cauſa eſt, ut à Deo non adjuvetur? non peccatum originale, vel actuale præſens; non futurum, quia pœna ſequitur, non præcedit culpam: non concupiſcentia; quia in Baptiſmo reatus ejus ſolvitur, atque adeò ita manet in renatis, ut non ſibi ad illicita conſentientibus nihil omnino nocitura ſit. Noceret autem multùm, ſi ob eam ſubtraheretur gratia neceſſaria ad vitandum peccatum. Reſtat ut Deus det juſtis gratiam ſufficientem ad perſeverandum in juſtitia. 26.

*Cauſa deſertionis eſt culpa hominis.*

S. Aug.

*Iuſti non deſeruntur, niſi ob culpam ſuam.*

Hanc gratiam, quam Deus juſtis dat, S. Aug. tribuit quodammodò juſtitiæ: uti eam, quam peccatoribus dat, tribuit miſericordiæ. In Pſ. 7. hæc verba Davidis, *Iuſtum auxilium meum à Domino,* ſic expendit: *duo ſunt officia medicinæ: unum, quo ſanatur infirmus, alterum, quo ſanitas cuſtoditur. Iuxta illud primum, dictum eſt in ſuperiore Pſalmo: Miſerere mei Domine, quoniam infirmus ſum: juxta hoc alterum in hoc Pſalmo dicitur: ſi eſt iniquitas in manibus meis: ſi reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis. Ibi infirmus, ut liberetur; hìc jam ſanus, ne corrumpatur, orat &c. itaque ibi miſericors auxilium eſt, quia nullum habet meritum peccator, qui adhuc juſtificari deſiderat, credens in eum, qui juſtificat impium.* 27.

*S.Aug. gratiam juſtorum tribuit juſtitiæ, & fidelitati.*

*pium. Hìc autem juſtum auxilium eſt, quod jam juſto tribuitur. Dicat ergo ibi peccator (qui dixit, infirmus ſum) ſalvum me fac Domine propter miſericordiam tuam. Et dicat hìc juſtus (qui dixit ſi reddidi retribuentibus mihi mala) juſtum auxilium meum à Domino, qui ſalvos facit rectos corde. Si enim medicinam exhibet, quâ ſanemur infirmi: quantò magis eam, quâ cuſtodiamur ſani? quoniam ſi, cum adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt, quantò magis nunc juſtificati ſalvi erimus ab ira per ipſum?* Debet ergo Deus auxilium iſtud non hominis juſti meritis, ſed ſuæ fidelitati, quod indubiè præſtat Deus fidelis & juſtus. *Debemus,*

S. Thom.

inquit S. Thomas lect. 1. in c. 1. ep. 1. ad Cor. *ſperare, quia Deus eſt fidelis: non enim videretur eſſe fidelis, ſi nos vocaret ad ſocietatem filii, & nobis negaret, quantùm in ipſo eſt, ea, per quæ pervenire ad eum poſſemus; unde Ioſue primo dicit: non te deſeram, neque derelinquam.*

28.

*S. Aug.*

*Iuſtus ultra litteram legis, eget ſpiritu gratiæ.*

Clariſſimè demum perſeverantiæ gratiam adſtruit Aug. l. de cor. & grat. Nuntiatum erat Auguſtino, dixiſſe quemdam Adrumetinum Monachum: *Neminem corripiendum, ſi Dei præcepta non facit, ſed pro illo, ut faciat, tantummodò orandum.* Contra hoc Aug. requirit c. 1. ſupra litteram legis ſpiritum gratiæ, inquiens: *Dominus autem ipſe non ſolùm oſtendit nobis, à quo malo declinemus, & quod bonum faciamus, quod ſolùm poteſt littera legis; verùm etiam adjuvat nos, ut declinemus à malo, & faciamus bonum, quod nullus poteſt ſine ſpiritu gratiæ.* Et ſtatim: *in bono autem liber eſſe nullus poteſt, niſi fuerit liberatus ab eo, qui dixit: ſi vos filius liberaverit, tunc verè liberi eritis. Nec ita, ut cùm quiſque fuerit à peccati dominatione liberatus, jam non indigeat ſui liberatoris auxilio; ſed ita potiùs, ut ab illo audiens: ſine me nihil poteſtis facere, dicat ei & ipſe: adjutor meus eſto, ne derelinquas me.* Hujus gratiæ intelligentiam commendat c. 2. *intelligenda eſt enim gratia Dei, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, quâ ſolâ homines liberantur à malo, & ſine qua nullum prorſus, ſive cogitando, ſive volendo & amando, ſive agendo faciunt bonum; non ſolùm, ut, monſtrante ipſa, quid faciendum ſit ſciant, verùm etiam ut, præſtante ipsâ, faciant cum dilectione, quod ſciunt.* Hujus gratiæ elargitionem adſtruit c. 6. quærens: an regeneratus meritò corripiatur cum peccat, & an juſta ſit hæc ejus excuſatio: quid feci, qui non accepi? & Reſp. *Si jam regeneratus & juſtificatus in malam vitam ſua voluntate relabitur, certè iſte non poteſt dicere: non accepi, quia acceptam gratiam Dei ſuo in malum libero amiſit arbitrio. . . . an adhuc & ille nolens corripi, poteſt dicere: quid ego feci, qui non accepi, quem conſtat accepiſſe, & ſuâ culpâ, quod acceperat amiſiſſe?* Pergit initio c. 7. ad principale: *Quæ cùm ita ſint, corripimus tamen eos juſtèque corripimus, qui, cùm bene viverent, non in eo perſeveraverunt. Ex bona quippe in malam vitam ſua voluntate mutati ſunt, & ideò corripiuntur . . . nec ſe excuſabunt dicentes . . . perſeverantiam non accepimus, quâ permaneremus in bono . . . ſi enim . . . ab hac damnatione non ſe liberabunt, qui poterunt dicere non ſe audiviſſe Evangelium Chriſti, cùm fides ex auditu ſit: quantò minùs ſe liberabunt, qui dicturi ſunt, perſeverantiam non accepimus. Iuſtior enim videtur excuſatio dicentium: non accepimus audientiam, quam dicentium: non accepimus perſeverantiam; quoniam poteſt dici: homo in eo, quod audieras & tenueras, perſeverares, ſi velles.*

*Hujus gratiæ intelligentiam commendat Aug.*

*Meritò corripiuntur, qui Dei præcepta nō ſervant.*

His ultimis verbis clarè ſignificat S. Aug. hominem regeneratum & juſtum ſuâ culpâ non perſeveraſſe, ideoque juſtè damnatum. Adfuit igitur gratia ſufficiens ad perſeverandū, ſine hac enim non poſſet perſeverare. Quod patet ulteriùs, quia comparat eos, qui non audierunt, iis, qui poſt ſuſceptam gratiam fidei non perſeveraverunt. Et ſicut de his aſſerit rectè dici: *Perſeverares ſi velles;* ita negat de illis poſſe affirmari: *Crederes ſi velles,* quia unum ex neceſſariis ad credendum eſt audientia fidei, quâ caruerunt. Ad perſeverantiam igitur gratia non defuit prioribus, quia ad perſeverantiam requiritur gratia ſufficiens, uti ad fidem audientia. Denique idem conficitur, quia ſicut c. 7. de quolibet baptiſato mortaliter peccante affirmat: *perſeverares, ſi velles,* ita cap. 11. de Adamo tentationi ſuccumbente, ait: *perſeveraret, ſi vellet.* Sed Adam habuit in ſtatu innocentiæ gratiam ſufficientem ad perſeverandum, ergo & quilibet baptiſatus: debebat enim uterque ad perſeverandum habere omnia prærequiſita. Hæc omnibus perſuadebunt, ut putamus: & addimus quod de fide & juſtitia loquitur Trident. Seſſ. 6. c. 13. *Similiter de perſeverantia munere, de quo ſcriptum eſt* (Matth. 10. & 24.) Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit: *quod quidem aliunde haberi non poteſt, niſi ab eo, qui potens eſt, eum, qui ſtat, ſtatuere, ut perſeveranter ſtet, & eum, qui cadit, reſtituere: nemo ſibi certi aliquid abſoluta certitudine polliceatur; tametſi in Dei auxilio firmiſſimam ſpem collocare & reponere omnes debent: Deus enim, niſi ipſi illius gratiæ defuerint, ſicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle & perficere: verùmtamen qui ſe exiſtimant ſtare, videant ne cadant.* Et can. 22. *Si quis dixerit, juſtificatum, vel ſine ſpeciali auxilio Dei, in accepta juſtitia perſeverare poſſe, vel cum eo non poſſe; anathema ſit.* Ubi (inquit Smiſ. ſup.) non tantùm definitur, eos poſſe perſeverare, qui ſufficiens ad hoc Dei auxilium habent; hoc enim per ſe notum eſt, nec in quæſtione venire poterat; ſed etiam omnes habere tale auxilium, quo poſſint perſeverare.

Et eandem vim habent alia ejuſdem Concilii verba, quibus definit eâd. ſeſſ. cap. 5. cap. 11. cap. 14. & can. 29. poſſe omnes cum Dei gratia ejus præcepta obſervare, & ad fidem, & juſtificationem, & ad pœnitentiam poſt relapſum pervenire; ut non ſolùm intelligat Concilium, id hominem poſſe cum gratia ſufficiente, ſed etiam illam gratiam omnibus ſuppetere. Hucuſque Theod. Nunquid rectè? rectiſſimè planè: ſcimus enim hanc propoſitionem: *Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus & conantibus, ſecundùm præſentes, quas habent, vires, ſunt impoſſibilia; deeſt quoque illis gratia, quâ poſſibilia fiant,* à Sede Apoſtolica proſcriptam eſſe tanquàm temerariam, impiam, blaſphemam anathe-

anathemate damnatam & hæreticam. Quid autem dicendum ſit de infidelibus, & fidelibus peccatoribus, idem vel diverſum, ibi non determinatur. Sed neque in cap. 11. Trid. ſup. allegato, quod non loquitur expreſſè, niſi de hominibus juſtificatis, ſicut infrà latiùs dicetur, ubi de obſervatione mandatorum Dei.

31. *An Deus velit omnes parvulos ſalvos fieri.*

Nunc examinemus cauſam parvulorum, quos etiam comprehendi ſub generali illa locutione Apoſtoli: *Vult omnes homines ſalvos fieri* &c. ſup. agendo de voluntate antecedente & conſequente oſtendimus, & iterum probatur: quia nulla eſt ratio eos excipiendi; imò eſt poſitiva ratio illos comprehendendi, ut puta: Apoſtolus probat ſententiam iſtam generalem, dicens: *Vnus enim Deus, unus & mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus: qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus*, 1. Timot. 2. v. 5. & 6.

*Probatur per affirmam.*

*Smiſing.*

Dedit autem (inquit Smiſ. ſup. n. 171.) etiam pro omnibus parvulis redemptionem ſemetipſum; quia aliàs non eſſet redemptor totius generis humani, in Adamo lapſi, quod pugnat cum alia ſententia ejuſdem Apoſtoli ad Rom. 5. v. 18. *Sicut per unius delictum in omnes homines* (utique etiam parvulos) *in condemnationem, ſic & per unius juſtitiam in omnes homines in juſtificationem vitæ.* Et cum illo 1. Ioan. 2. v. 2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantùm; ſed etiam pro totius mundi.*

*Confirmatur.*

Ita ergo Deus vult omnes parvulos ſalvos fieri, quemadmodùm voluit per Chriſtum omnes etiam parvulos redimi; hoc autem voluit circà parvulos omnes ſimpliciter; igitur & illud; ac per conſequens voluit etiam parvulis omnibus ſimpliciter media ſufficientia ad ſalutem providere, quoniam hoc includitur in voluntate illa ſalvandi omnes, juxta communem DD. expoſitionem. Sic Theod. Qui benè addit: *Iuxta communem* &c. quia juxta aliquas particulares expoſitiones D. Aug. de quibus alibi egimus, ſoli parvuli, qui ſalvantur, in voluntate illa ſalvandi omnes includuntur; atque adeò juxta has expoſitiones hoc argumentum nullius eſt roboris: nam ſicut Aug. intelligit illam Scripturam de omnibus hominibus non ſimpliciter, ſed de omnibus qui ſalvantur, ſic ut nullus ſalvetur, quem Deus non vult ſalvum fieri; ita Adverſarii noſtri hanc Scripturam: *Dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus*, intelligendam dicent, non de omnibus ſimpliciter, ſed de omnibus, qui redimuntur, ita ut nullus redimatur, niſi per Chriſtum; neque ullus juſtificetur, niſi per juſtitiam Chriſti.

*Apud aliquos dicta probatio nullius eſt roboris.*

32. *Quâ ratione ſecundùm ipſos Chriſtus pro omnibus parvulis mortuus ſit.*

Igitur, ſecundùm Adverſarios, eatenus pro omnibus, etiam pro parvulis Chriſtus mortuus eſt, quatenus communis erat eorum cauſa cum aliis hominibus; & quia juſtè & piè credimus, Chriſtum non denegaſſe ullis parvulis meritum ſuum; nec à fructu ſuæ paſſionis apud Patrem quempiam excluſiſſe; ac denique, quia non minùs piè affirmare poſſumus, Chriſtum voluntate ſimplicis complacentiæ omnibus parvulis ſalutem deſideraſſe; ſicut ſibi ipſi vitam concupivit, dependenter tamen à voluntate Patris, Matth. 26. n. 39. *Pater mi, ſi poßibile eſt, tranſeat à me calix iſte: verùmtamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu.* Ex quo etiam patet diverſitas inter parvulos & dæmones; quia horum cauſa non fuit communis cum homine; nec pro illis oravit Chriſtus; ſed expreſsè illos excluſit, eiſque meritum ſuum negavit. Et hinc D. Aug. lib. de Adult. conjugiis c. 15. *Omnis* (inquit) *qui Chriſti Sanguine redemptus eſt, homo eſt; non tamen omnis, qui homo eſt, etiam Sanguine Chriſti redemptus eſt.* Intellige propriè, id eſt, à captivitate erutus.

*Diverſitas inter parvulos & dæmones.*

D. Aug.

33. *Qua ratione non omnis homo ſit redemptus Sanguine Chriſti.*

S. Proſper

Ita Magiſtrum ſuum interpretatur fideliſſimus diſcipulus S. Proſper, Reſp. 9. ad Capit. Gall. ibi: *Cum itaque rectiſſimè dicatur, Salvator pro totius mundi redemptione crucifixus propter veram humanæ naturæ ſuſceptionem, & propter communem in primo homine omnium perditionem: poteſt tamen dici pro his tantum crucifixus, quibus mors ipſius profuit .... Diverſa ergo ab iſtis* (baptizatis) *ſors eorum eſt, qui inter illos cenſentur, de quibus dicitur* (Joan. 1. v. 10.) Mundus eum non cognovit, *ut poßit ſecundùm hoc dici redemptor mundi, dedit pro mundo Sanguinem ſuum, & mundus redimi noluit: quia* lucem tenebræ non receperunt: *& tenebræ receperunt, quibus dicit Apoſt.* (Epheſ. 5. v. 8 *Fuiſtis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Deinde ad primam Objectionem Vincent. ſic ait: *Quòd ergo ad magnitudinem, & potentiam pretii, & quòd ad unam pertinet cauſam generis humani, Sanguis Chriſti redemptio eſt totius mundi. Sed qui hoc ſæculum ſine fide Chriſti, & ſine regenerationis Sacramento pertranſeunt, redemptionis alieni ſunt. Cùm itaque propter unam omnium naturam, à Domino noſtro in veritate ſuſceptam, rectè omnes dicantur redempti, & tamen non omnes à captivitate ſint eruti; redemptionis proprietas haud dubiè penes illos eſt, de quibus princeps mundi miſſus eſt foras, & jam non vaſa diaboli, ſed membra ſunt Chriſti. Cujus mors non ita impenſa eſt humano generi, ut ad redemptionem ejus, etiam qui regenerandi non erant, pertinerent: ſed ita, ut quod per unicum exemplum geſtum eſt pro univerſis, per ſingulare Sacramentum celebraretur in ſingulis. Poculum quippe immortalitatis, quod confectum eſt de infirmitate noſtra, & virtute divina, habet quidem in ſe, ut omnibus proſit; ſed, ſi non bibitur, non medetur.*

*Quis propriè ſit redemptus.*

34. *Quid ſufficiat ad veritatem hujus Script.* dedit redemptionem &c.

Igitur ad veritatem dictæ Scripturæ: *Dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus*, videtur ſufficere, juxta illum S. Patrem, cauſæ communitas, & magnitudo ac potentia pretii; eſto, ut Nonnulli volunt, aliquibus parvulis Deus nullo modo conceſſerit, poſſe humanâ diligentiâ applicari eis remedium ſufficiens ad ſalutem, ſive editis in lucem, cùm aqua non conceditur; ſive in utero materno vi ſola naturæ morientibus, ut aqua nequeat applicari. Reſpondet Smiſing. ſup. n. 175. cauſæ communitatem, & pretii dignitatem non ſufficere, ut Chriſtus dicatur pro omnibus mortuus, omneſque redemiſſe; niſi illud pretium mortis ſuæ, propter illam cauſam communem omnibus, etiam pro omnibus obtulerit Patri, intendens omnibus reconciliationem & ſalutem, quantùm erat ex parte Patris & ſua.

*Smiſ. docet non ſufficere cauſæ communitatem, & pretii dignitatem.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*Probat à ſimili.*

Probat à ſimili: Si (inquit) plures ſint rei mortis ob idem delictum, & dives quiſpiam judici offerat pretium, condignum redemptioni omnium; non dicetur omnes redemiſſe, niſi pro omnibus pretium obtulerit; etiamſi fortè nullum poſitivè excluſerit, ſed circà quoſdã negativè ſe habuerit, nõ eos comprehendendo, quia fortè novit judicis voluntatem quoad iſtos non eſſe placabilem; vel etiam ſi circà quorumdam redemptionem ſolùm ſimplicem complacentiam habuerit, quam æquè habere poteſt circà illos, quos nullo modo diceretur redemiſſe, quod ſanè totum ex communi modo loquendi conſtat.

*Quid requiratur, ut Chriſtus dicatur pro omnibus mortuus.*

Quarè ut Chriſtus dicatur pro omnibus mortuus, omneſque redemiſſe, neceſſè eſt, ut pro omnibus ſuæ mortis pretium efficaciter, quantum erat ex parte ipſius, obtulerit, eoſque Patri efficaciter, quantum erat ex parte Patris, id eſt, ut Pater ex parte ſua vellet omnes ſalvare, reconciliaverit.

*Chriſtus obtulit ſe poſitivè pro omnibus. Probatur ex Script.*

Quæ Chriſti oblatio (proſequitur idem Auctor) pro omnibus poſitivè optimè colligitur ex modo loquendi Scripturæ, cum explicat hanc generis humani redemptionem, factam per Chriſtum, dicens de ea 1. Timoth. 2. v. 6. *Dedit redemptionem &c.* ut ſuprà. Item ad Galat. 1. v. 4. *Dedit ſemetipſum pro peccatis noſtris.* Non enim datur quidpiam pro aliquo, niſi dans illud offerat pro eo, intendens ipſum obtinere, quod emitur vel redimitur; cùm datio pretii pro merce ſit contractus, qui abſque poſitiva oblatione dantis, & acceptatione reddentis non conſummatur.

35. *Confirmatur.*

Idem colligitur ex iis Scripturis, quibus redemptio omnium per Chriſtum vocatur *Oblatio*; nam ſimplex effuſio pretii (ut ſic dicam reſpectu aliquorum, non poteſt dici oblatio pro illis facta, etiamſi illi neceſſitatem habeant, cauſamque communem cum aliis, pro quibus pretium offertur. Ita de Chriſto prædixit Iſaias ca. 53. v. 7. *Oblatus eſt, quia ipſe voluit.* Habetur quoque ad Hebræos 7. v. 27. *Hoc enim fecit ſemel ſeipſum offerendo.* Et cap. 9. v. 14. *Semetipſum obtulit.* Item 1. Pet. 3. v. 18. *Chriſtus ſemel pro peccatis noſtris mortuus eſt, juſtus pro injuſtis, ut nos offerret Deo.* Hucuſque Smiſ. Benè pro re nata, ſcilicet juxta communem expoſitionem dictarum Scripturarum, occaſione quarum hæc latiùs deducta ſunt.

*Explicatur S. Proſper.* Smiſing.

Quid ergo (inquis) ad S. Proſperum? Audi Theod. ſup. Non dicitur quis quoad cauſæ communitatem, & pretii dignitatem aliquid facere pro alio redimendo, pro quo pretium illud propter talem cauſam non obtulerit. Solùm ergo ibi docet, Chriſtum non redemiſſe omnes, quaſi omnes de facto ſalventur per talem redemptionem; quod Scholaſtici dicunt, Chriſtum non redemiſſe omnes quoad efficaciam, ſed ſolùm quoad ſufficientiam; quod non eſt aliud, quàm eum omnibus meruiſſe ſufficientia, licèt non efficacia media ſalutis. Sic ille. Et ideò non velle omnes ſalvos fieri voluntate conſequente; ſed aliquos voluntate tantùm antecedente. Et S. Proſperum ſic eſſe intelligendum, colligo ex his ejus verbis ſup. relatis: *Redemptionis proprietas haud dubiè penes illos eſt, de quibus princeps mundi miſſus eſt foras.* Et amabo, quæ hæc proprietas? Utique redemptio activa & paſſiva, ſive communicatio meriti paſſionis per Sacramentum Baptiſmi, de qua ibi loquitur Proſper. Et eodem modo interpretor D. Aug. (ut ſup. adhuc inſinuavi) quando dicit: *Non tamen omnis, qui homo eſt, etiam Sanguine Chriſti redemptus eſt*, ſcilicet activè & paſſivè ratione jam dictâ; quam etiam ſignificat Concil. Trident. ſeſſ. 6. cap. 3. dicens: *Non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt.*

Et quod iſtud beneficium? Renaſcentia in Chriſto ſeu juſtificatio, quæ eſt (teſte Trident. ibid. cap. 4.) *Tranſlatio ab eo ſtatu, in quo homo naſcitur filius primi Adæ, in ſtatum gratiæ & adoptionis filiorum Dei, per ſecundum Adam Ieſum Chriſtum Salvatorem noſtrum.* Porrò nimis clarum eſt, neque omnes adultos, neque omnes parvulos tale beneficium recipere, eſto detur ipſis gratia ſufficiens (ſaltem remotè, & in alio, beneficium iſtud recipiendi. Dico: *Et in alio*; quia parvuli in ſeipſis incapaces ſunt gratiæ actualis, de qua hìc loquimur, ſive proximè, ſeu remotè ſufficientis, ut patet. In quo ergo eam recipiunt? Dicet nobis S. Proſper lib. 2. de Vocat. Gent. c. 23. cujus titulus eſt: *Parvulis pereuntibus generalis gratia tribuitur, dum ea parentibus datur.* Dicet inquam: *Non irreligiosè arbitror credi, neque inconvenienter intelligi quòd iſti paucorum dierum homines ad illam pertineant gratiæ partem, quæ ſemper univerſis eſt impenſa nationibus: qua utique ſi bene eorum uterentur parentes, etiam ipſi per eoſdem juvarentur. Omnium namque exordia parvulorum, totaque illa principia necdum rationalis infantiæ ſub arbitrio jacent voluntatis alienæ, nec ullo modo eis, niſi per alios, conſuli poteſt & conſequens eſt, illos ad eorum pertinere conſortium, quorum vel recto, vel pravo aguntur affectu.* Ac ſi dicat (inquit Smiſ. ſup. num. 175. in fine) eodem modo illos habere media gratiæ ſufficientia ad ſalutem, quo habent illi adulti, in quorum ſunt poteſtate, media ſufficientia ad fidem ſuſcipiendam, & ad bonam voluntatem applicandi parvulis Sacramentum fidei: illa autem media habent omnes adulti, ergo & paruuli. Sic ille.

Sed contrà, dicet aliquis: eſtò hæc vera forent reſpectu parvulorum, qui in lucem editi, ex negligentia vel malitia parentum non baptizantur; ſecùs tamen reſpectu eorum, qui in utero, vel extra uterum ſine Baptiſmo moriuntur abſque alicujus negligentia vel malitia, per meras cauſas naturales; v.g. quando infans perit in utero propter naturalem matris debilitatem, quæ non valuit fœtum edere. Secundò; quando factâ humanâ diligentiâ abeſt aqua, & infans editus moritur. Tertiò, cùm parentes inculpatè fidem Baptiſmi ignorarunt, & tunc infans interiit: ergo quòd iſte non baptizatur, tantùm reduci debet in Dei voluntatem. Reſpondet Felix de Reprob. cap. 6. diffic. 7. num. 14. quòd in omnibus his caſibus tribuit Deus auxilia ſufficientia: nam (inquit) ex voluntate, quâ vult omnes ſalvari, prævidit & providit cauſas naturales ſufficientes, quibus poſſent pueri in lucem

lucem edi,&proximè,& actu capaces fieri Baptiſmi,& aliorum auxiliorum ſupernaturalium; per accidens autem eſt, & ex defectu cauſarum naturalium, quòd impediantur; nam licèt impoſſibile ſit, Baptiſmum applicare decedentibus in utero,id tamen non eſt impoſſibile ſimpliciter,ſed ex ſuppoſitione, quòd cauſæ naturales, quibus illi edendi ſunt in lucem, impediantur.

38\. Quod patet;nam,ſecundùm Omnes, Deus providit mediū ſufficiens;ut applicaretur Baptiſmus eis, quibus humanâ diligentiâ potuit applicari;& tamen multis non applicatur propter culpabilem vel inculpabilem defectum:ſicut ergo,poſitâ iſtâ negligentiâ, impoſſibile eſt pueros iſtos ſalvari,non ſimpliciter,ſed per accidens & contingenter; ita ſuppoſito, quòd cauſæ naturales impediantur, impoſſibile eſt non ſimpliciter,ſed per accidens, & ex ſuppoſitione,quòd pueri baptizentur. Sic ille. Inſtat quiſpiam:impedire tales cauſas eſt effectus poſitivus:ergo à Deo; ergo cum tali voluntate non poteſt eſſe voluntas ſalvandi hujuſmodi pueros. Reſpondet Felix,negando hanc Conſequentiam:nam (inquit) voluntas ſalvandi eſt inefficax,cum qua benè compatitur altera efficax impediendi cauſas naturales,ut puer in lucem non edatur ob alios fines,qui reſpectu totius Univerſi,& ſecundùm occulta judicia Dei cenſentur majoris momenti, quàm velle ut puer in lucem edatur; Deus enim non tenetur patrare miracula,ut puer baptizetur:unde licèt voluntas illa impediens cauſas ſecundùm ſe poſitiva ſit, tamen reſpectu ſalutis pueri tantùm eſt permiſſiva. Ita Franciſ.

*Per accidens aliquando fit, ut parvuli non poſſint baptizari.*

*Inſtantia.*

*Diſſolvitur, Felix.*

39\. Et ante ipſum Smiſ.ſup.num.178. Cùm dicimus (inquit) illam incapacitatem auxilii pro tali tempore eſſe præter intentionem divinæ providentiæ, ſeu (ut alii loquuntur) non eſſe diſpoſitam,ſed permiſſam à Deo, non eſt ita hoc intelligendum,quaſi Deus purè permiſſivè ſe habeat ad illum eventum naturalem, neque illum velit voluntate complacentiæ; ſed ſenſus eſt,eventum illum eſſe præter intentionem divinæ providentiæ particularis circà talem hominem,& ſolùm eſſe ex communi providentia naturali; hoc eſt, Deum in conſtitutione Univerſi & cauſarum naturalium etiam illum effectum naturalem cum reliquis ejuſdem ordinis diſpoſuiſſe; non tamen eo fine, ut hunc vel illum hominem ſic privaret ſalute æternâ, ſeu mediis ſufficientibus ad illam; ſed propter ſtatum Univerſi conſervandum, qui labefactaretur,ſi Deus non ſineret cauſas,quas condidit, agere motus ſuos. Undè providentia particularis,quâ Deus decrevit talem parvulum ob peccatum,in quo moritur,damnare,ſupponit præſcientiam illius eventûs naturalis;non verò illū diſpoſuit,ſed permiſit; licèt ille eventus per aliam providentiam diſpoſitus ſit. Hæc ille.

*An illa incapacitas ſit præter intentionem Dei. Smiſing.*

40\. Quid ergo,ait, dicendum ad exempla ſuprà adducta ex adverſo? Ad primum exemplum dico (auditis Felicem ſup.n.15) debilitatem matris procedere ex ægritudine,orta ex pluribus actibus liberis in uſu immoderato ciborum, & in aliis corporalibus exercitiis,ad quod evitandum parentes non caruerunt auxilio. Addo:quòd ſi talis debilitas proceſſit independenter ab actu libero,adhuc non defuit auxilium;nā Deus ex intentione ſalvandi puerum,infudit parentibus inſpirationes,quo imbecillitas illa roboraretur, ut poſſet fœtus erumpere. Ad ſecundum exemplum dico;parentes ſemper aliquā accepiſſe inſpirationem, aut ſe conferendi in locum, in quo eſſet aqua, aut orandi, aut ſacrificia offerendi pro incolumitate fœtûs;& quia illam neglexerunt,puer non fuit baptizatus. Ad tertium dico;parentes Gentiles aliquam Dei inſpirationem neglexiſſe (imò & peccato repugnaſſe) cui ſi annuerent, notitiam Baptiſmi compararent, atque filii baptizari poſſent:ideò autem Gentiles hi dicuntur Baptiſmum inculpatè ignorare, licèt liberè impedimentum ſcientiæ poſuerint, quia ignorarunt,ſe impedimentum ponere. Hactenus Felix. Ipſe ſup.n.13.conſequenter ad jam dicta ritè cenſet, illud quod ait Proſper ſuprà: *Quâ utique*(gratiâ)*ſi benè eorum uterentur parentes* intelligendū eſſe de bono uſu,non tantùm morali,ſed etiam naturali in cauſis naturalibus.

*Reſpondetur ad primum exemplum obiectum, Felix.*

*Reſponſio ad ſecundum.*

*Reſpondetur ad 3.*

Si autem à me quæritur,quid Smiſ.doceat de parvulis ſive extra ſive in utero morientibus,jā ediſſero. Etſi (ait ille ſup n.177.) adulti non habeant poteſtatem,proximè ſufficientem ad ſubveniendum quibuſdam parvulis,habent tamen remotè. Vel enim adulti,in quorū poteſtate eſt parvulus recens natus,ſunt fideles,& tunc moraliter fieri non poteſt,quin illis aliquid incidat de baptizando parvulo:quòd ſi illa cogitatione non obſtante (etiam abſque culpa, quia fortè non vident periculū præmaturæ mortis in parvulo) differant Baptiſmum parvuli, & intereà contingat parvulum mori,id non impedit ſufficientiam auxilii tali parvulo conſtituti in ope aliena;quia illâ cogitatione ſufficienter proximè moveri poterant ad parvulum baptizandū; & quòd poſteà fortè de hoc non ampliùs cogitent,ſolùm probat,dari aliquod ultimum auxilium pro parvulo, in ope aliena conſtitutum, poſt quod pro brevi illo tempore, quo parvulus adhuc eſt in vivis,non datur aliud. Vel adulti, in quorum poteſtate eſt parvulus recens natus,ſunt infideles;& tunc,quemadmodū ipſi habent auxilium ſufficiens ad recipiendam fidem Baptiſmi, & aliorum myſteriorum Chriſtianæ Religionis, ita parvulus habet auxilium ſufficiens in ipſorum ope conſtitutum,ut poſſit per illos ad fidei Sacramentum pervenire. Vel denique nondum natus eſt parvulus; & tunc ſi in utero materno moriatur,non quidem habet ullo modo auxilium in humana ope, quo ad Baptiſmum pervenire poſſit ante mortem;hoc tamen per accidens eſt,nec per divinam providentiam intentum: quemadmodùm etiam in adulto contingere poteſt, ut perveniens ad uſum rationis, ſtatim peccet mortaliter, & aliis invincibiliter diſtractus, vivat breviſſimo tempore,neque excitari poſſit (in tali diſtractione poſitus) ad aliquid præſtandum, quo obtineat gratiam pœnitendi, quod per accidens eſt, mi- 41.

*Quid Smiſing doceat de parvulis*

*Prima pars ejus doctrina.*

*Secunda.*

*Tertia.*

nimèque intentum per divinam providentiam: nec obſtat, quò minùs omnes communis ſententiæ Auctores dicerent, Deum velle talem hominem ſalvum fieri voluntate antecedente; adeòque, per ſe loquendo, etiam tali homini providiſſe media, ad ſalutem ſufficientia; licèt ex aliis cauſis (quas Deus impedire non debet) incapax reddatur omnis auxilii actualis, tam remoti, quàm proximi ad pœnitendum ante mortem. Uſque adhuc Theod. Optimè ſecundùm communem ſententiam, quæ, ut patet ex alibi dictis, verba Apoſtoli: *Qui vult omnes homines ſalvos fieri*, exponit de omnibus hominibus, nemine excepto.

42. *Etiam parvuli per Baptiſmum perueniunt ad agnitionē veritatis*

Neque huic expoſitioni repugnat, quod ibidē additur: *Et ad agnitionem veritatis venire.* Primùm; quia largè loquendo de agnitione veritatis, etiam parvuli per Baptiſmum ad eam perveniunt, dum eis habitualis fides infunditur, ob quod parvulos inter fideles & credentes paſſim numerat Aug. ut lib. de Pecc. meritis c. 25. quod ſic incipit: *Proinde parvuli, ſi per Sacramentum, quod ad hoc divinitùs inſtitutum eſt, in credentium numerum non tranſeant, profectò in his tenebris remanebunt.* Et cap. 27. ibi: *Quis autem neſciat, credere eſſe infantibus baptizari?* Item cap. 33. in principio: *Deinde, ſic conſequenter dicit:* Deus ſic dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam (Joann. 3. v. 16) *Periturus ergo parvulus eſſet, nec habiturus vitam æternam, ſi per Sacramentum Baptiſmi non crederet unigenitum filium Dei . . . . . Vbi ergo parvulos ponimus baptizatos, niſi inter fideles, ſicut univerſæ ubique Eccleſiæ clamat auctoritas? Ergo inter eos qui crediderunt.* Et hinc ſerm. 14. de Verb. Apoſt. poſt medium ſic ait: *Conſuetudine Eccleſiæ antiqua, canonica, fundatiſſima, parvuli baptizati fideles vocantur.* Et paulò poſt: *Inter credentes igitur baptizatos parvulos numerabis, nec judicare ullo modo aliter audebis, ſi non vis eſſe apertus hæreticus.*

*Parvuli baptizati ponendi inter fideles juxta D. Aug.*

43. *Hanc Scripturam:* Qui vult omnes homines *&c* *Aug. extendit ad parvulos, lib. 4. contra Iul. c. 8.*

Atque ut alia omittam, hanc ipſam Scripturam, de qua in præſenti tractamus, Aug. lib. 4. contra Julian. c. 8. ad ipſos parvulos extendit, dicens: *Cur ergo non ſic accipimus, quod dictum eſt:* Qui vult omnes homines ſalvos fieri, & in agnitionē veritatis venire: *quomodò & illud accipimus, quod idem dixit Apoſt.* (Rom. 5. v. 18.) Per unius juſtificationem in omnes homines ad juſtificationem vitæ? *Hos enim omnes vult Deus ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire, in quos omnes per unius juſtificationem gratia pervenit ad juſtificationem vitæ, ne dicatur nobis:* Si Deus vult omnes homines ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire; *ſed ideò non veniunt, quia ipſi nolunt: cur tot millia parvulorū, qui non percepto Baptiſmate moriuntur, non veniunt in regnum Dei, ubi certa eſt agnitio veritatis? Nunquid aut homines non ſunt, ut non pertineant ad id, quod dictum eſt, Omnes homines?* Igitur, ſecundùm Auguſtinum, dictæ ſententiæ generales æquè parvulos ac adultos comprehendunt; tametſi ipſe hoc loco cenſeat, ly *Omnes*, non de omnibus ſimpliciter, ſed de omnibus qui ſalvantur, & veniunt ad agnitionē veritatis, & juſtificantur, fore intelligendum. Nam aliquibus interjectis, inquit: *Sic ergo debet intelligi, quod dictum eſt:* Omnes homines vult ſalvos fieri &c, *quemadmodùm intelligitur quod dictum eſt:* Per unius juſtificationem &c. *Quod Apoſtolicum teſtimonium, ſi eo modo intelligendum putas, ut dicas* Omnes *poſitos eſſe pro multis, qui juſtificantur in Chriſto; multi quippe alii non vivificantur in Chriſto: reſpondebitur tibi, ſic etiam illic, ubi dictum eſt:* Omnes homines vult ſalvos fieri &c. Omnes *poſitos eſſe pro multis, quos ad iſtam gratiam vult venire.* Ita S. Aug.

*Sed ibi ly* Omnes *non intelligit de omnibus ſimpliciter.*

Tu diligenter attende; quòd non ſemper in Scriptura ly *Omnes*, ponatur pro multis. An fortè cenſes, quando Apoſt. ibidem ut puta ad Rom. 5. v. 12. ait: *Propterea ſicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt;* cenſen, inquam, ly *Omnes*, poſitum eſſe pro multis, & non pro omnibus ſimpliciter? ſimiliter, dum v. 18. dicitur: *ſicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem &c.* clarum eſt, quod ly *Omnes*, poſitum ſit pro omnibus ſimpliciter. Si Scriptura diceret: *Deus omnes homines ſalvos facit*, lubens admitterem, & nemo diſſentiret, ly *Omnes* poſitum eſſe pro multis, & non pro omnibus ſimpliciter, cùm manifeſtè conſtet ex Scriptura non omnes ſimpliciter ſalvari: ſed cùm dicat: *Deus omnes homines vult ſalvos fieri*, aſſero cum communiori ſententia ly *Omnes* poſitum eſſe pro omnibus ſimpliciter juxta alibi dicta. Impræſentiarùm ſufficit ad propoſitum noſtrum, nec Auguſtinum, nec aliquem alium doctorem gravem ab illa ſententia: *Deus vult omnes homines ſalvos fieri*, parvulos ullo modo excipere, quomodocumque illud ſignum, *Omnes*, diſtribuatur.

Deinde (inquit Smis. ſup. n. 174.) etiam ſi demus illud: *Ad agnitionem veritatis venire*, ad ſolos adultos pertinere, non ideò præcedens ſententia de iiſdem ſolis intelligi debet: quemadmodùm & illud Mar. 16. v16. *Qui crediderit & Baptizatus fuerit, ſalvus erit*, ſi de ſolis adultis intelligatur quoad priorem partem; non ideò etiam quoad poſteriorem, quin ex illo loco neceſſitas Baptiſmi pro parvulis colligatur; ut patet apud Aug. diſſerentem contra Pelagianos, licèt ipſe utrumque, nempe & credere (habitu) & baptizari, ad parvulos etiam extendat, ut patet ex locis allegatis: nimirum quia generales ſententiæ Scripturæ ſingulis pro ſua capacitate ſunt accommodandæ; atque ita cùm parvuli omnes ſint capaces ſalutis, ipſi comprehenduntur illâ generali ſententiâ: *Vult omnes homines ſalvos fieri*, etiamſi illâ: *Vult omnes ad agnitionem veritatis venire*, de actuali agnitione intellectâ, non comprehendantur. Ita Theod.

Pergamus ad peccatores nondum obduratos & excæcatos. Hi omnes duplici egent gratia. Unâ, quâ à novis peccatis abſtineant; alterâ, quâ è veteribus emergant. Primam adeſſe cuivis peccatori, docet S. Aug. l. 3. de l. arb. c. 18. petens: *quis enim peccat in eo, quod nullo modo poteſt caveri? peccatur autem, caveri igitur poteſt.* Caveri tamen

men non poſſet, ſi ſaltem ſufficiens gratia non adeſſet. Et c. 19. *cùm verò ubique ſit præſens, qui multis modis per creaturam ſibi domino ſervientem averſum vocet, doceat credentem, conſoletur ſperantem, diligentem exhortetur, conantem adjuvet, exaudiat deprecantem: non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras; ſed quod negligis quærere, quod ignoras: neque illud, quòd vulnerata membra non colligis, ſed quòd volentem ſanare contemnis. Iſta tua propria peccata ſunt.* Eadem inſerit libro de nat. & grat. poſt exortam hæreſim Pelagianam conſcripto, & ad ea comprobanda ſubjungit c. 67. *Ita & exhortatus ſum, quantùm potui, ad rectè vivendum, & gratiam Dei non evacuavi, ſine qua natura humana jam contenebrata atque vitiata illuminari non poteſt & ſanari.* Conſtat quoque hæc de vera Chriſti gratia eſſe intelligenda.

*S. Aug. In poteſtate hominis eſt, non conſentire diabolo.* Aliud Aug. teſtimonium habes l. 50. Homil. homil. 12. *Cùm per Dei adjutorium in poteſtate tua ſit, utrùm conſentias diabolo, quarè non magis Deo, quàm ipſi obtemperare deliberas? ſi enim ſolus diabolus daret conſilium & Deus taceret, haberes quo excuſari poſſes. Cùm vero Chriſtus tibi & conſcientia tua contradicat, & per Scripturas divinas audias in Eccleſia, quòd non debeas facere malum; quarè eligis mortem & deſeris vitam, & magis vis ſequi diabolum ad luxuriam, quàm obtemperare Chriſto, qui te invitat ad vitam æternam? rogo ergo vos fratres chariſſimi, quarè Satanas ſeducit ad peccandum, cùm Deus poſuerit homini in poteſtate non conſentire Satanæ? eſt enim à dextris quodammodò præcipiens Deus, à ſiniſtris ſeducens Satanas, homo in medio conſtitutus. Cor quod inclinatur ad diabolum, quarè non magis erigitur ad Deum? non enim diabolus cogendo, ſed ſuadendo nocet: nec extorquet à nobis conſenſum, ſed petit. Nos diabolum non adjuvemus, & vincimus. Dat quidem ille conſilium, ſed, Deo auxiliante, noſtrum eſt vel eligere, vel reſpuere quod ſuggerit.*

47. *S. Aug. Satanas nequit cogere.* De peccatore quoque ita loquitur in Pſ. 91. *Si quid boni fecerit, ego feci, dicit. Si quid mali fecerit, quærit quem accuſet, ne confiteatur Deo. Et quid eſt, quærit quem accuſet? ſi non eſt valde impius ad manum Satanam habet, quem accuſet. Satanas fecit, dicit, ipſe mihi perſuaſit. Quaſi Satanas haberet poteſtatem cogendi. Aſtutiam ſuadendi habet. Sed ſi Satanas loqueretur & taceret Deus, haberes unde te excuſares. Modò aures tuæ poſitæ ſunt inter monentem Deum, & ſuggerentem ſerpentem. Quarè huc flectuntur, hinc avertuntur? non ceſſat Satanas ſuadere malum, ſed nec Deus ceſſat admonere bonum. Satanas autem non cogit invitum: in tua poteſtate eſt conſentire, aut non conſentire. Si aliquid perſuadente ſatana mali feceris, dimitte Satanam, accuſa te, ut accuſatione tua Dei miſericordiam merearis.*

Item in Pſ. 7. ſub finem: *Nihil poſſunt impiorum valere blaſphemiæ, qui volentes excuſare facinora ſua nolunt ſuæ culpæ tribuere, quòd peccant: hoc eſt, nolunt ſuæ culpæ tribuere culpam ſuam: itaque aut fortunam aut fatum inveniunt, quod accuſent; aut diabolum, cui non conſentire in noſtra poteſtate eſſe voluit, qui nos fecit.* Dat igitur etiam Deus gratiam ſufficientem à novis peccatis abſtinendi peccatoribus, aliàs non eſſet in poteſtate eorum non conſentire. *Ne dicas*, ait Aug. in Pſ. 7. *non poſſum tenere & portare & frænare carnem meam: adjuvaris ut poſſis.* Nemo ergo dubitet de gratia ſufficiente obvia peccatori ad nova peccata declinanda.

Quòd quoque Deus det gratiam peccatori à veteribus emergendi, & verè pœnitendi, patet ex pœnitentiæ præcepto: Deus enim impoſſibilia non præcepit, ſed *homo gratiâ juvatur, ne ſine cauſa voluntati ejus jubeatur*, ait S. Aug. l. de grat. & lib. arb. c. 4. & l. de nat. & grat. c. 43: *Non igitur Deus impoſſibilia jubet, ſed jubendo admonet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis.* Ergo alterutrum eſt in peccatoris poteſtate: nam ſi neutrum poſſet; ſicut non monet, ut facias quod non potes facere, ita etiam non moneret ut petas, quod non potes petere: aliàs ridiculè moneret. 48. *Peccator habet gratiam pœnitendi.* S. Aug.

Imò præcepta levia ſunt teſte S. Aug. de perfect. juſtitiæ c. 10: *Nec aliam ob cauſam Scriptura commemorat, non eſſe gravia divina præcepta, niſi ut anima, quæ illa gravia ſentit, intelligat ſe nondum accepiſſe vires, quibus talia ſint præcepta Domini, qualia commendantur, levia ſcilicet atque ſuavia, & oret gemitu voluntatis, ut impetret donum facultatis.* Si putaret S. Doctor peccatorem, ne orationis quidem faciendæ vires accepiſſe; quemadmodùm monet, ut, qui necdum poteſt implere præceptum, vires poſtulet, ita etiam præſcriberet, quid illi agendum ſit, qui orandi vires non habet. Hoc nuſquam facit, ergo exiſtimat nulli deeſſe vires ad orandum. Nec mirum, Deus enim, ut ait S. Aug. tr. 7. in Joannem, *legem & miſericordiam in lingua portat. Noli timere, ne implere legem non poſſis. Fuge ad miſericordiam*, & obtinebis pœnitentiæ gratiam; nam gratia non ſeparatur à præcepto, imò hoc antevertit juxta illud S. Leonis de Paſſ. *juſtè nobis inſtat præcepto, qui præcurrit auxilio.*

Quod ſi fingas omnem pœnitentiæ vel novi peccati declinandi gratiam deeſſe peccatori, cùm ſolis naturæ viribus non poſſit; is erit ſub impotentia inſuperabili voluntatis, quæ excuſat à peccato, ſicut ignorantia invincibilis juris poſitivi, juxta illud S. Aug. l. 3. de lib. arb. c. 18. *Nec habet in poteſtate, ut bonus ſit, ſive non videndo qualis eſſe debeat, ſive videndo & non valendo eſſe, qualem debere ſe eſſe videt.* Homines quoque æqualiter ſe excuſatos credunt, dum non potuerunt, ſicut dum non cognoverunt. Qui nihil audiverunt de Chriſto, excuſantur ab infidelitatis peccato: pariter excuſari deberent, ſi poſt audientiam non acciperent gratiam ſufficientem credendi in Chriſtum. Ignorantia enim illa non minùs eſt pœna peccati originalis, quàm impotentia hæc: legem enim exiſtentē & obligantem homo innocens non ignoraſſet. 49. *Aliàs impœnitentia non poſſet ei imputari.* S. Aug.

Si quoque S. Auguſtino credas l. de ſpir. & litt. c. 36. homo lapſus non peccat, eſtò perfectè non obſervet præceptum: *Non concupiſces*, &: *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c.* & hoc ideò, quia non poteſt illa præcepta perfectè ſervare defectu cognitionis & gratiæ ſufficientis, 50. *Homo lapſus non poteſt perfectè implere præceptum dilectionis Dei.*

cientis, quâ privatus eſt in pœnam peccati originalis. Undè quòd homines tam perfectè Deum non diligant, culpæ non deputat; *Sed,*
S. Aug. *ſi dici poteſt, quædam juſtitia minor huic vitæ competens, quâ juſtûs ex fide vivit, quàmvis peregrinus à Domino: & ideò per fidem ambulans, nondum per ſpeciem, non abſurdè dicitur etiam ad iſtam pertinere, ne peccet: neque enim ſi eſſe nondum poteſt tanta dilectio Dei, quanta illi cognitioni plenæ perfectæque debetur, jam culpæ deputandum eſt. Aliud eſt enim totam nondum aſſequi charitatem, aliud nullam ſequi cupiditatem. Quarè debet homo, quàmvis longe minùs amet Deum, quàm eum poteſt amare conſpectum, nihil tamen appetere illicitum.* Perfectum amorem ait Aug. *in illa vita complebimus, cum videbimus facie ad faciem.* Et paulò poſt:
*Et præceptum: non concupiſces.* *ad illam vitam jam immortalem pertineat: diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota virtute tua. Ad hanc autem: non regnet peccatum in veſtro mortali corpore ad obediendum deſideriis ejus. Ad illam* immortalem, *non concupiſces: ad iſtam, poſt concupiſcentias tuas non eas .... his conſtitutis peccatum erit hominis ex fide viventis, aliquando alicui cogitationi illicitæ conſentire*, quia habet gratiam ſufficientem ad non conſentiendum. Non eſt peccatum cogitationem illicitam habere, aut indeliberatè concupiſcere, quia homo lapſus non habet gratiam ſufficientem ad non cogitandum, nec concupiſcendum ordinariè loquendo.

51. *Peccatores ſæpe habent gratiam pœnitendi.* S. Aug.

Plus dico: peccatores nondum obdurati, ſæpe habent gratiam pœnitendi. *Volumus*, inquit S. Aug. ſerm. de tempore, *Charitati veſtræ ſuggerere, qualiter obdurationem iſtam debeatis accipere. Primò hoc fideliter & firmiter credat dilectio veſtra, quia nunquam priùs Deus deſerit hominem, niſi priùs ab homine deſeratur. Cum enim & ſemel & ſecundò & tertiò unuſquiſque gravia peccata commiſerit, exſpectat tamen illum Deus, ſicut per Prophetam dicit, ut convertatur & vivat.* Unde
S.Proſper. S. Proſp. ad cap. 11. gall. *cum ... aliquos à Deo aut traditos deſideriis ſuis, aut obduratos legimus, aut relictos; magnis peccatis ſuis hoc eos meruiſſe profitemur.* Igitur non obdurato paſſim Deus tribuit gratiam ad pœnitendum, quam obdurato ſæpe ſubtrahit.

Dein conſidera bonitatem & miſericordiam Dei in peccatores. *Quid tam longanimum*, ait Aug. enarr. in Pſal. 102, *quid tam multum in*
*Ex Dei bonitate & miſericordia.* *miſericordia? Peccatur, & vivitur; accedunt peccata, augetur vita: blaſphematur quotidiè, & facit ſolem ſuum oriri ſuper bonos & malos. Vocat undique ad correctionem, vocat undique ad pœnitentiam, vocat beneficiis creaturæ, vocat impertiendo tempus vivendi, vocat per lectorem, vocat per tractorem, vocat per intimam cogitationem, vocat per flagellum correptionis, vocat per miſericordiam conſolationis, longanimis & multæ miſericordiæ. Sed obſerva, ne, longitudine miſericordiæ Dei malè utendo, tu tibi theſaurizes, quod ait Apoſt. iram in die iræ, & revelationis juſti judicii Dei.* Et conc. 2. in Pſ. 58. *Si nolis curari vulnus tuum, admonet ut cureris: & averſum revocat, & refugientem quodammodò ad ſe redire compellit & attrahit. In omnibus implet quod dictum eſt: miſericordia ejus præveniet me.* Hæc eſt gratia ſufficiens ad pœnitendum.

Hinc liquet, quòd per peccatorem dumtaxat ſtet, quo minùs convertatur; nam poſtquàm dixiſſet Aug. peccatores divinæ gratiæ pluviâ perfundi, ſubdit ſub finem in Pſ. 63: *Nunquid conſilii corrigendi, & mutandæ vitæ malæ in bonam non eſt locus, non eſt tempus? nonne, ſi vis, hodie fit? nonne, ſi vis, modò fit? quid empturus es ut facias? quæ emplaſtra quæſiturus es? ad quos Indos navigaturus? quam navim præparaturus? ecce, cum loquor, muta cor: & factum eſt, quod tam ſæpe & tam diu clamatur ut fiat, & quod æternam pœnam parturit, ſi non fiat.* Præclarè quoque S. Proſp. in rem noſtram l. 2. de voc. gent. c. 26. de peccatorum juſtificatione diſputans ait: *Gratia quidem Dei in omnibus juſtificationibus principaliter præminet, ſuadendo exhortationibus, monendo exemplis, terrendo periculis, incitando miraculis, dando intellectum, inſpirando conſilium, corque ipſum illuminando, & fidei affectionibus imbuendo. Sed etiam voluntas hominis ſubjungitur ei, atque conjungitur, quæ ad hoc prædictis eſt excitata præſidiis, ut divino in ſe cooperetur operi, & incipiat exercere ad meritum, quod ſuperno ſemine concepit ad ſtudium; de ſua habens mutabilitate, ſi deficit: de gratiæ opitulatione, ſi proficit. Quæ opitulatio per innumeros modos, ſive occultos, ſive manifeſtos omnibus adhibetur: & quòd à multis refutatur, ipſorum eſt nequitiæ, quòd autem à multis ſuſcipitur, & gratiæ eſt divinæ, & voluntatis humanæ.*

Videamus an etiam bonus & miſericors Deus ſit infidelibus. Quoad Judæos tam peccatores quàm juſtos veteris Legis, ſi Aug. in Pſalmos conſulas, ſæpe ex eo colliges gratiam ſufficientem adfuiſſe tam Judæis, quàm Davidi. Certè lex vetus quà talis non ſufficiebat Judæis ad bene agendum & præcepta implenda; ſicut nec lex Euangelica ſufficit Chriſtianis: ſunt enim tantùm adjutorium aliquod externum, de quo tam grave & diuturnum bellum fuit cum Pelagianis. *Gratiam*, inquit S. Aug. lib. 4. ad Bonif. c. 11. *diverſis locutionibus Pelagiani nolunt, niſi legem videri; ut videlicet non ad faciendum quod cognoverimus, ſed ad cognoſcendum quid faciamus, nos Deus adjuvare credatur.* Gratiam à lege diſtinctam unà cum ipſa lege Judæis conceſſam fuiſſe, tradit S. Aug. de grat. & lib. arb. c. 18. *Cum dicitur diligamus invicem lex eſt. Cum dicitur, quia dilectio ex Deo eſt, gratia eſt. Sapientia quippe Dei, legem & miſericordiam in lingua portat, unde ſcriptum eſt in Pſalmo: etenim benedictionem dabit, qui legem dedit.*

Hæc gratia Judæis parata præveniens erat, non ita adjuvans. Sic docet S. Aug. epiſt. 89. *Iubet ideò, ut facere juſſa conati, & noſtra infirmitate ſub lege fatigati, adjutorium gratiæ poſcere noverimus.* Et paucis interjectis. *Qui enim Deo dicit: adjutor meus eſto, confitetur ſe velle implere quod juſſit: ſed ab eo, qui juſſit, adjutorium poſcere, ut poſſit.* Ex quibus collige adjutorium propriè



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

eſſe reſpectu voluntatis jam volentis & conantis, ſed adhuc infirmæ: quæ ut poſſit id quod voluit, gratiâ debet adjuvante roborari. Nam ut ait S. Doctor ſerm. 3. de Verb. Apoſt. cap. 10. *Volo ut velis, ſed non ſufficit ut velis, adjuvandus es ut plenè velis, & impleas quod velis.* Et ſerm. 13. de verb. Apoſt. cap. 2. docet datam eſſe legem, *ut medicus*, id eſt gratia adjuvans *quæreretur.* Rurſus Epiſt. 144. ad Anaſtaſium: *lex itaque docendo & jubendo, quod ſine gratia impleri non poteſt, homini demonſtrat ſuam infirmitatem, ut quærat demonſtrata infirmitas ſalvatorem, à quo ſanata voluntas poſſit, quod infirma non poteſt. Lex igitur adducit ad fidem, fides impetrat ſpiritum largiorem.* Propterea quæſt. 55. ſuper Exod. ait: datam fuiſſe Judæis legem: *ut de ſua infirmitate atque peccatis per legem convincerentur, & lex illis fieret Pedagogus, à quo perducerentur ad gratiam.* Illa enim perductio fieri nequit ſine gratia: nam teſte S. Proſpero ad cap. 8. Gall. *Sine gratia nemo currit ad gratiam.*

55. *Perducens ad gratiam adjuvantem.* S. Aug.

Datur ergo gratia præveniens, ut nos perducat ad gratiam adjuvantem, quò facit hoc S. Aug. Conc. 27. in Pſ. 118. *Ad hoc.... data eſt lex, ut te de magno parvulum faceret, ut te ad faciendam legem vires de tuo non habere monſtraret: ac ſic opis indigens & egenus ad gratiam confugeres & clamares: miſerere mei Domine.* Igitur idcircò data eſt lex Judæis, ut continuò, gratia præveniente inſtructi, velint & conentur eam implere; cumque viderint ſe nondum poſſe, adjuvantem gratiam implorent, per quam poſſint: atque adeò ſcopum & finem legis poſtulare. Hoc ſufficit, ut homo dicatur eſſe ſub lege: non verò requiritur, ut omni omnino gratia nudetur; quia ſecundùm S. Aug. Epiſt. 19. illi ſunt ſub lege, quibus lex dominatur, ſive *quos reos facit lex non implentes legem:* nam ut notat tr. 3. in Joan. *Facti erant homines ſub lege non implendo legem. Qui enim legem implet, non eſt ſub lege ſed cum lege.* Sub gratia verò eſt ille, cui gratia dominatur, id eſt, qui per gratiam legem implet. Quod S. Aug. ex his Apoſt. Verbis confirmat, l. de grat. & lib. arb. c. 12. *Peccatum enim vobis non dominabitur, non enim eſtis ſub lege, ſed ſub gratia.* Eſſe ergo ſub lege non excludit omnem gratiam, ſed tantùm adjuvantem, eamque efficacem.

56. *Defectu gratiæ efficacis prævaricatores facit lex.* S. Aug.

De hac intelligi debent teſtimonia Auguſt. quibus docet legem ſine gratia prævaricatores efficere quia illa gratia efficax per culpam hominis negligentis vel repellentis priorem gratiam, abeſt. Colligo ex lib. de grat. & lib. arb. cap. 4. *Si dixerit, volo ſervare, ſed vincor à concupiſcentia mea: reſpondet Scriptura libero ejus arbitrio, quod jam ſuperiùs dixi: noli vinci à malo, ſed vince in bono malum: quod tamen ut fiat, adjuvat gratia, quæ niſi adjuverit, nihil lex erit, niſi virtus peccati.* Et cap. 10. *Quando autem cognoſcit homo peccatum, ſi non adjuvet gratia, ut cognitum caveatur, ſine dubio lex iram operatur .... hoc autem dixit, quia ira Dei major eſt in prævaricatore, qui per legem cognoſcit peccatum, & tamen facit.* Iterum ſerm. 3. de verb. Apoſt. cap. 10. *Vis videre quid valeat ſine ſpiritu adjuvante littera jubens? .... virtus autem peccati lex.*

Uti Judæis, ita infidelibus reliquis Deus providet de gratiis ſufficientibus, quibus ſi benè uterentur, tandem proximam tum fidei tum ſalutis conſequendæ poteſtatem acciperent. S. Auguſt. cum Manichæis diſputans, & lumen gratiæ cum ſolis luce comparans li. 1. de gen. contra Manich. cap. 3. inquit: *Solis iſtius lumen non illuminat omnem hominem, ſed corpus hominis & mortales oculos, in quibus nos vincunt aquilarum oculi, qui ſolem iſtum multò meliùs quàm nos dicuntur aſpicere. Illud autem lumen non irrationabilium animalium oculos paſcit; ſed pura corda eorum, qui Deo credunt, & ab amore viſibilium rerum & temporalium ſe ad ejus præcepta ſervanda convertunt. Quod omnes homines poſſunt, ſi velint: quia illud lumen omnem hominem illuminat, venientem in hunc mundum.* Igitur omnes homines etiam infideles gratiam accipiunt, quæ volendi poteſtatem conferat. Quapropter Ly, *ſi:* non conjungit Auguſt. cum lumine, ſed cum voluntate; quia per hanc ſtat, quòd multi præcepta non ſervent. Idem repetit S. Doctor l. 1. retract. c. 10. *Verum eſt enim omnino omnes homines hoc poſſe, ſi velint: ſed præparatur voluntas à Domino, & tantùm augetur munere Charitatis, ut poſſint.* Quæ ultima verba ſignificant, per gratiam, & non per naturam effici tum primam boni volitionem, tum robuſtiorem aliam, quâ proximè mandata implentur. Idem Auguſt. expoſ. 1. in illud Pſalm. 18. *Non eſt qui ſe abſcondat à calore ejus,* inquit: *Cum autem Verbum etiam caro factum eſt, & habitavit in nobis, mortalitatem noſtram ſuſcipiens, non permiſit ullum mortalium excuſare ſe de umbra mortis; & ipſam enim penetravit Verbi calor.* 57. *Infideles quoque habent gratiã ſufficientem* S. Aug.

Generaliter quoque loquitur, l. de catechiz. rudibus c. 26. *A quo interitu, hoc eſt pœnis ſempiternis, Deus miſericors volens homines liberare ſi ſibi ipſis non ſint inimici, & non reſiſtant miſericordiæ Creatoris ſui, miſit unigenitum filium ſuum.* Magiſtro conſonat. Diſcipulus S. Proſper lib. 2. de voc. gent. cap. 19. cujus titulus: *Deus pro omni tempore vult omnes homines ſalvos fieri, aut generalibus donis aut etiam peculiaribus.* cap. 23. *Præter illam generalem gratiam parciùs atque occultiùs omnium hominum corda pulſantem, excellentiore opere, largiore munere, potentiore virtute vocatio ſpecialis exeritur.* cap. 25. *Sive igitur noviſſima contemplemur ſæcula, ſeu prima, ſeu media, rationabiliter & piè creditur, omnes homines ſalvos fieri Deum velle, ſemperque voluiſſe. Et hoc non aliundè monſtratur, quàm de iis beneficiis eâque providentiâ Dei, quam univerſis generationibus communiter atque indifferenter impendit.* Igitur impendit Infidelibus. *Per hanc liberari poſſunt ab interitu.* S. Proſp.

58. *Ea eſt interior.*

Quis non videat ex his & pluribus, infidelibus æquè ac aliis concedi gratiam, quæ remotam ſaltem fidei & ſalutis capeſſendæ poteſtatem tribuat? hæc autem eſt gratia interior.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

rior. Externa enim non pulſat occultiùs hominum corda, neque eſt Verbi calor, nec omnem infidelibus excuſationis occaſionem adimit, cùm non tribuat poteſtatem ad fidem & ſalutem perveniendi: ſicuti, ſi ſola gratia externa Adamo fuiſſet conceſſa, non omnem illi occaſionem excuſationis ademiſſet, quia perſeverandi poteſtatem non contuliſſet.

*Frequenter conjungitur alicui externæ.*
S.Proſp.

Interior illa infidelium gratia frequenter conjungitur cum externa aliqua, v. g. interior gratia fidei cum externa prædicatione. *In præteritis ſæculis*, inquit S.Proſper lib.2. de voc. gent. cap.4. cujus titulus: *ſemper admonuit divina bonitas, homines ſui cultûs per elementa: ſicut populum Iſrael peculiariter per legem & Prophetas.* Et addit mundum ita Domino deſerviſſe, *ut in paginis elementorum, ac voluminibus temporum communis & publica divinæ inſtitutionis doctrina legeretur.* De illa etiam prædicatione, vocibus & paginis intelligendum eſt quod ait, Epiſt. ad Demetriadem: *Voces dicentium, & litteræ paginarum, quæ ad eruditionem audientium vel legentium Deo ſerviunt, non carent ejus virtute, cui ſerviunt:* ſcilicet interiori Dei gratia, quæ conjungitur & vim eis tribuit.

59.
*Non eſt propriè gratia Chriſti.*
S. Proſp.

Gratia illa infidelibus data; non eſt propriè & ſtrictè gratia Chriſti: nam hæc Chriſti Mediatoris cognitionem & fidem involvit. Patet ex S.Proſper. lib. 2. de voc. gent. cap. 17. *In extremis mundi partibus ſunt aliquæ nationes, quibus nondum gratia Salvatoris illuxit.* &c. *Quibus tamen illa menſura generalis auxilii, quæ deſuper omnibus ſemper hominibus eſt præbita, non negatur.* Et cap 18. ita inſcribit: *Prioribus ſæculis abſconditam fuiſſe gentibus gratiam Chriſti, non tamen Prophetis.* Eadem docet

S. Aug.

S. Auguſt. de grat. & lib. arb. 13. loquens de gratia infidelium & inquiens: *Naturam etiam cum impiis & infidelibus certum eſt nobis eſſe communem: gratia verò per fidem Ieſu Chriſti eorum tantummodò eſt, quorum eſt ipſa fides.* Ideò ſolet eam vocare gratiam, quâ Chriſtiani ſumus; negatque *illam* infidelibus dicens, ſer. 5. de verb. Apoſt. c.11. *Pagani non habent gratiam Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.*

*Eſt ex meritis Chriſti.*

Gratia illa eſt meritis Chriſti comparata, & redemptionis munus, & hoc ſenſu poteſt dici gratia Chriſti, ſive gratia per Chriſtum; quia tamen S. Auguſt. aliter uſurpat illam vocem, meliùs dicitur gratia ex Chriſto, vel gratia Dei. Non quòd gratia Chriſti non ſit gratia Dei, ſed quia peculiari nomine appellatur gratia infidelium, & generale vocabulum quaſi proprium ſibi vendicat. Quo etiam modo S. Auguſt. diſtinguit fidem Dei & fidem Chriſti, cùm in Cornelio ante adventum S. Petri, fidem Dei, non verò fidem Chriſti agnoſcat. Quia ergo gratia infidelium imperfectam ſaltem Dei cognitionem involvit, rectè gratia Dei appellari poteſt; ſicut gratia Chriſtianorum gratia Chriſti, quia ejus cognitionem ſeu fidem involvit.

Generalis illa gratia Dei, quàmvis ſufficiat,
60. ut homo eam habens ſuâ culpâ pereat, non tamen ut explicetur, cur hi potiùs ad fidem pertineant, quàm illi. Quia licèt infideles, benè illa gratia utentes, majora auxilia accipiant; tamen multi ſunt, qui non utuntur, & equidem ex miſericordia Dei ad fidem perveniunt. Deinde quàmvis majora auxilia accipiant, non tamen gratiam efficacem, quæ ex ſolo Dei arbitrio pendet. Recurrendum igitur ad illud Apoſt. *O altitudo!* Unde S.Proſper lib. 1. de voc. gent. cap. 21. *Si verò quæritur, cur Salvator omnium hominum non omnibus dedit hunc ſenſum, ut cognoſcerent verum Deum, & eſſent, id eſt, permanerent in vero filio ejus: quàmvis credamus nullis hominibus opem gratiæ in totum fuiſſe ſubtractam (de quo pleniùs in ſequentibus diſſeremus) tamen ita fortè hoc velatum ſit, ſicut illud abſconditum eſt: cur antea, omnibus gentibus prætermiſſis, unum populum ſibi, quem ad veritatis cognitionē erudiret, exceperit. De quo judicio Dei ſi non eſt conquerendum, multò minùs de hoc, quod cum electione omnium gentium geritur, murmurandum eſt. Quæ enim Deus occulta eſſe voluit, non ſunt ſcrutanda, quæ autem manifeſta fecit non ſunt neganda.* Porrò manifeſtum eſt ex prædictis, gratiam ſufficientem omnibus infidelibus dari.

Paulus Oroſius Hiſpanus Preſbyter, qui in Africam trajecit, ut S. Aug. audiret, & ejus imperio ad S. Hier. profectus eſt, ut eum de graviſſimis quæſtionibus conſuleret: qui denique, cum ex oriente rediret, Africanis Epiſcopis aperuit, quibus artibus Paleſtinæ Synodo Pelagius illuſiſſet, & præcipuus Auctor fuit renovandi contra illum belli, ejuſque hæreſis novo decreto condemnandæ: ita ſcribit hac de re in Apologetico de arbitrii libertate. *Mihi ſemper hæc eſt fidelis & indubitata ſententia, Deum adjutorium ſuum, non ſolùm in corpore ſuo, quod eſt Eccleſia, cui ſpecialia ob credentium fidem gratiæ ſuæ dona largitur, verùm etiam univerſis in hoc mundo gentibus longanimem ſuam, æternamque clementiam ſubminiſtrare. Non, ut tu aſſeris cum diſcipulo tuo Cæleſtio, cui jam apud Africanam Synodum occulta illa impiorum dogmatum natura contuſa eſt, in ſolo naturali bono, & in libero arbitrio generaliter univerſis unam gratiam contribuam; ſed ſpeciatim, quotidie, per tempora, per dies, per momenta, per atoma, & cunctis & ſingulis miniſtrare* (quod intellige de iis momentis, quibus dæmonis tentatione, vel domeſticâ carnis corruptelâ ad peccandum impellimur) *evidentiſſimè declaratum eſt, nemini hominum deeſſe Dei adjutorium, præſertim cum & ſeductor inſtat, & inſit infirmitas.*

Dum S. Auguſt. dicere videtur, gratiam non omnibus concedi, loquitur de gratia ſpeciali & efficaci, vel proximè & abundanter ſufficiente. Sic eum intellige ſerm. 11. de verb. Apoſt. cap. 4. quando dicit: *Communis eſt omnibus natura, non gratia*; nam cap. 5. addit: *Quâ facti ſumus populus ejus & oves paſcua ejus per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Sic quoque intellige Epiſcopos Africanos in Sardinia exules, dum inquiunt in Epiſt. Synodica:

*dicta: De gratia verò non dignè ſentit, quiſquis eam putat omnibus hominibus dari: cùm non ſolùm non omnium ſit fides, ſed adhuc nonnullæ gentes inveniantur, ad quas Fidei prædicatio non pervenit. Beatus autem Apoſtolus dicit: quomodò invocabunt, in quem non crediderunt? aut quomodò credent ei quem non audierunt? quomodò autem audient ſine prædicante? non itaque gratia omnibus datur, quandoquidem ipſius gratiæ participes eſſe non poſſint, qui fideles non ſunt, nec poſſunt credere, ad quos invenitur ipſe fidei auditus minimè perveniſſe.* Præter hanc gratiam perfectam, eſt alia imperfecta, quæ ſolùm imperfectum elicit voluntatis conſenſum, quæ conceditur omnibus, qui, etſi fidem non ſint amplexi, aliquam tamen ejus ſuſcipiendæ voluntatem vel inſtinctum habuerunt. Audite S. Aug. l. 1. ad Simpl. qu. 2. *Incipit autem homo percipere gratiam, ex quo incipit credere Deo, vel interna vel externa admonitione motus ad fidem. Sed intereſt quibus articulis temporum, vel celebratione Sacramentorum gratia plenior & evidentior infundatur. Non enim Catechumeni non credunt, aut verò Cornelius non credebat Deo, cum eleemoſinis & orationibus dignum ſe præberet, cui Angelus mitteretur: ſed nullo modo iſta operaretur, niſi ante crediſſet: nullo modo autem credidiſſet, niſi vel ſecretis per viſa mentis, vel manifeſtioribus per ſenſus corporis admonitionibus vocaretur eò: fiunt ergo inchoationes quædam fidei conceptionibus ſimiles: non tamen ſolùm concipi, ſed etiam naſci opus eſt, ut ad vitam perveniatur æternam.* Variæ igitur ſunt admonitiones, quibus homo ad cognitionem Dei, antequàm ſuſcipiat fidem Chriſti, vocatur.

*Sufficiens & imperfecta.*

63. In paganis admonitio hæc eſt imperfectiſſima quædam Dei cognitio ſaltem, quæ pium voluntatis motum præcedit: & quia ſupernaturalis eſt, ad fidem veluti quædam ejus inchoatio reducitur. Interim aliud eſt fidei inſpiratio, aliud inchoata fides; nam hæc voluntatis conſenſum, & fidei inchoatæ actū ſignificat: illa vocationē tantùm internam: & quàmvis inſpiratio pluribus detur, paucioribus tamen inchoata fides. Tenuior gentilium, uberior Judæorum ſub vetere lege gratia. Ita S. Proſp. l. 2. de voc. gent. c. 4. *Sed ne in præteritis quidem ſæculis hæc eadem gratia (quæ poſt Domini noſtri Ieſu Chriſti Reſurrectionem ubique diffuſa eſt, & de qua ſcriptum eſt: eluxerunt coruſcationes tuæ orbi terræ) defuit mundo. Quamvis enim ſpeciali curâ atque indulgentiâ Dei populum Iſraeliticum conſtet electum: omneſque aliæ nationes ſuas vias ingredi, hoc eſt ſecundùm propriam permiſſæ ſint vivere voluntatem; non ita ſe tamen æterna Creatoris bonitas ab illis hominibus avertit, ut eos ad cognoſcendum ſe atque metuendum nullis ſignificationibus admoneret.* Addit gratiam uberiorem Judæis conceſſam non obſcurare tenuiorem gentibus datam: *Sicut enim iſta gratiæ largitas, quæ in omnes gentes noviſſimè effluxit, non evacuat eam, quæ ſuper unum Iſrael ſub lege roravit.* Et ut oſtendat quo ſenſu gentes iſtæ dicantur derelictæ, ſubdit: *Qui quidem in comparatione electorum* (id eſt Judæorum) *videntur abjecti: ſed nunquam ſunt manifeſtis occultiſque beneficiis abdicati.*

*In paganis hæc gratia eſt imperfectiſſima.*

*S. Proſp.*

Reſtant excæcati & obdurati, & nec his negatur à Deo gratia ſufficiens. Excæcatio & obduratio hujus vitæ eſt imperfecta tantùm, & multùm diſtat ab obduratione damnatorum. Illa eſt hujus inchoatio tantùm & initium, teſte S. Auguſt. in Pſal. 6. Poſt med. ubi ait: *Sunt enim tenebræ exteriores, quæ magis ad diem judicii pertinere intelliguntur, ut penitus extra Deum ſit, quiſquis dum tempus eſt, corrigi noluerit. Penitus enim eſſe extra Deum, quid eſt niſi eſſe in ſumma cæcitate?* tum addit: in hac vita ſummæ illius cæcitatis inchoationem tantùm, & initium reperiri. Obduratio ſuo modo comparari poteſt confirmationi Sanctorum in gratia: ſicut enim hæc non excludit omnem interiorem tentationem à viatore, ut Apoſtoli exemplo conſtat; ita nec illa omnem gratiam internam removet. Imò confirmati in gratia imperfectum quandoque conſenſum præbent tentationi, qui ſit veniale peccatum. Quidni ergo obdurati in hac vita imperfectè quandoque aſſentiantur gratiæ? ipſe Pharao, cum eſſet obduratus, teſte S. Aug. ſer. 88. de temp. *quoties afflictus eſt, humiliter ſupplicavit*; unde habuit gratiam, quâ liberas quaſdam velleitates, ſeu complacentias excitavit. S. Thomas qu. 24. de veritate, art. 11. in corp. ait: obduratum eum eſſe, qui *non de facili poſſit cooperari ad hoc, quod exeat de peccato. Et hæc eſt obſtinatio imperfecta, quâ aliquis poteſt eſſe obſtinatus in ſtatu viæ: dum ſcilicet habet aliquis ita firmatam voluntatem in peccato, quòd non ſurgunt motus ad bonum, niſi debiles.* Hi equidem motus ſunt gratiæ ſufficientes, ut homo cæcitatem ſuam & obſtinationem excuſare non poſſit. Ita docet (poſt Aug. expoſ. 1. in Pſal. 18. *Non permiſit ullum mortalium excuſare ſe de umbra mortis &c.*) S. Proſp. l. 2. de voc. gent. cap. 13. *Quæ beneficia* (gratiæ) *licet obduratis nihil remedii & emendationis attulerint, probant tamen averſionem eorum non divinæ fuiſſe conſtitutionis, ſed propriæ voluntatis.* Quod paulò ante in Cain oſtenderat dicens: *cum ergo talia ad Cain loqueretur Deus: nunquid ambiguum eſt voluiſſe eum, & quantùm ad medendi modum ſufficiebat egiſſe, ut Cain ab illo impietatis furore reſipiſceret? ſed malitia pertinax inde facta eſt inexcuſabilior, unde debuit eſſe correctior.*

64. *Excæcatis & obduratis non negatur gratia ſufficiens.*

D. Aug.

*obduratio viatorum eſt tantùm imperfecta.*

S. Aug.

S. Thom.

S. Aug.

Excuſationem obduratorum, petitam ab impotentia benè agendi, nullam eſſe oſtendit S. Aug. l. 3. de lib. arb. cap. 19. dicens: *Nulli enim homini ablatum eſt ſcire utiliter quærere, quod inutiliter ignorat; & humiliter confitendam eſſe imbecillitatem: ut quærenti & confitenti ille ſubveniat, qui nec errat, dum ſubvenit, nec laborat.* Et in Pſ. 58 ſub finem, probans *Omnipotenti Medico nihil eſſe inſanabile*, obduratum ita alloquitur: *Sed etſi nolis curari vulnus tuum, admonet ut cureris, & averſum revocat, & refugientem quodammodò ad ſe redire compellit & attrahit. In omnibus implet quod dictum eſt: miſericordia ejus præveniet me.* Nempe ut opem Dei, quam implorare admonetur, petere poſſit. Hoc poſſe præſtat gratia ſufficiens orandi. Oratione ritè adhibitâ, obtinebuntur ulteriores & uberiores gratiæ, donec obdura-

65. *Nec cauſas impotentiam.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tio tollatur, & cauſa ejus. Quæ hæc? S. Thomas: 1. diſt. 40. q. 4. a. 2. ait: *Dicunt Sancti communiter Dyoniſius, Auguſtinus, & Anſelmus, quòd cauſa, quarè iſte non habet gratiam, eſt: quia ipſe noluit accipere, & non quia Deus noluit dare: quia lumen ſuum omnibus offert, quod tamen ab omnibus non percipitur.* De Dæmonibus perfectè obduratis nemo dixerit, non poſſunt, quia nolunt: ſed potiùs, nolunt, quia non poſſunt.

66. *Sed ſolam difficultatē.* S. Aug. Obdurati & excæcati peccant quoties præcepta non ſervant, licèt obſervantia ſit ipſis difficilis, & careant potentiâ proximâ ſervandi. *Cæcitas cordis*, ait Aug. lib. 1. oper. imperf. *ſi peccatum non eſſet, injuſtè argueretur: arguitur autem juſtè ubi dicitur: Phariſæe cæce, & aliis plurimis divinorum eloquiorum locis.* Et l. 5. contra Jul. c. 3. *Cæcitas cordis, quam ſolus removet illuminator Deus, & peccatum eſt, quo in Deum non creditur, & pœna peccati, quâ cor ſuperbum digna animadverſione punitur, & cauſa peccati, cum mali aliquid cæci cordis errore committitur.* Si peccent excæcati, igitur habuerunt gratiam ſufficientem peccatum vitandi: & potentiam ſufficientem, licèt non proximam. Angeli certè viatores, & Protoparentes in ſtatu innocentiæ, licet creati in amore actuali caſto, eguerunt adjutorio, quo daretur perſeverandi potentia: aliàs ſine culpa non perſeveraſſent, excuſati per impotentiam perſeverandi. Homini ergo lapſo, & multipliciter vulnerato à fortiori ad excuſationem ſerviret impotentia vitandi peccati, ſi ſubeſſet.

67. *Adjutoriū Angeli boni & hominis.* S. Aug. Quæres, quod fuerit illud adjutorium ſufficiens Angelorum in via & Protoparentum? Reſp. gratia ſanctificans. Quærit S. Aug. l. 12. de civit c. 9. *An ſancti Angeli, quem habent Creatorem naturæ, eundem habeant bonæ voluntatis Auctorem, per Spiritum ſanctum in eis charitate diffuſa?* ſupponit hic Angelos habuiſſe voluntatem bonam. Sed controverſia, an hæc fuerit potentia voluntatis, an potius actualis volitio deliberata? Aliqui hoc dicunt, alii illud. In Theol. noſtra Sacrament. p. 3 d. 6. ſect. 5. concluſ. 3. tetigimus punctum hoc ex S. Aug: qui poſtquam l. 12. de Civit. c. 6. 7. 8. diſſeruiſſet de mala voluntate malorum Angelorum, aſſignat cauſam ejus deficientem ipſam potentiam voluntatis ſeu liberum arbitrium. Jam effectus ſeu actus voluntatis eſt volitio; igitur S. Aug. per malam voluntatem intelligit volitionem malam & actum demeritorium. Pergit c. 9. ad voluntatem bonam bonorum Angelorum, quærens cauſam ejus efficientem. Unde & hic intelligit S. Aug. per voluntatem bonam volitionem bonam, quam vocat: *amorem, amorem caſtum*, quo boni & meliores fiant: hoc autem fit per opera meritoria, non per potentiam aut habitum. Uno verbo S. Aug. utitur verbis ſignificantibus amorem actualem. Et quia l. de corr. & grat. c. 11. utitur verbis ſignificantibus amorem habitualem, & gratiam habitualem, quia nunquam dicit, quòd Angelus aut homo illi adjutorio potuerunt diſſentire, reſiſtere &c. quia ponit adjutorium illud ſtabile, in quo permaneatur; cùm auxilium actuale ad ſingulos actus detur novum: quia ſic S. Aug. intellexerunt ejus diſcipuli & Theologiæ Principes: quia nihil obſtat illi intelligentiæ: ideò intelligi poteſt adjutorium habituale, per adjutorium ſine quo non, de quo Aug. ſup. inquit: *Tunc ergo dederant homini Deus bonam voluntatem* (amorem actualē caſtum) *in illa quippe eum fecerat, qui fecerat rectum. Dederat & adjutorium gratiæ habitualis, ſine quo in eo non poſſet permanere, ſi vellet.* Præter hoc adjutorium gratiæ habitualis, & illuminationem intellectûs, homo integer non egebat gratiâ voluntatis.

*Voluntas mala apud S. Aug. eſt volitio mala: & voluntas bona volitio bona*

Homo lapſus autem eâ indiget Aug. teſte, unde ad ſufficientiam homini lapſo datur, ut in præcedentibus latè probatum. Modò licet cum Paulo Oroſio concludere. *Evidentiſſimè probatum eſt, nemini homini deeſſe Dei adjutorium: præſertim cum & ſeductor inſtat, & inſit infirmitas.* 69. Licet cum Seraphico Bonaventura 2. d. 28. q. 2. noſtram ſententiam ita à pelagiana hæreſi ſecernere: *Hoc fuit quod decepit Pelagium, quòd liberum arbitrium nunquam deſtituitur omni gratia gratis data, & ipſe poſſe gratiæ attribuit ipſi naturæ; ſuperbiâ enim excæcatus neſcivit diſtinguere inter dona naturalia & gratuita.* Addatur & hoc B. Hildeberti epiſt. 33. *Officioſiſſima eſt hominibus gratia Dei, & velut in eorum jurata obſequium.*

Sit ergo reſolutio finalis: tam adultis, quàm parvulis omnibus datur gratia ſufficiens, ſeu potiùs à Deo non negatur; adultis quidem in ſe ipſis, parvulis autem in aliis, licèt non omnibus detur proximè ſufficiens; uti nec omni tempore remotè ſufficiens, ut ediſſero Concl. ſequenti, quæ talis eſt:

## CONCLUSIO II.

**Deus non dat omnibus media proximè ſufficientia ad ſalutem; ut nec omni tempore remotè ſufficientia; ſed ſolùm aliquando pro loco & tempore; ita ut ſi homo illis bene uteretur, daret ulteriora auxilia uſque ad illud, quod proximè ſufficeret.**

INnocentius X. Bullâ: *Cum joccaſione*, hanc propoſitionem: *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur*, hæreticam declaravit, & uti talem damnavit. Igitur, ſecundùm fidem Catholicam, interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ aliquando reſiſtitur. Nec ideò tamen (ut benè advertit Cenſura Lovanienſis Aſſert. 4.) *Ulla Dei vocatio deluſoria eſt; neque enim aliâ fit ullâ intentione ac fine, quàm ut convertatur quiſque aut converti poſſit ..... ac debeat; &, ſi vocanti non obtemperet, inexcuſabilis habeatur.* Equidem (ut ait Cenſura Duacenſis Aſſert. 4.) *Vocationis divinæ primus finis eſt hominis converſio, etiamſi illa non ſequatur. Quòd enim quiſpiam vocatus non convertatur, propriæ ejus malitiæ imputandum eſt; quòd autem convertatur, vocantis bonitati & potentiæ adſcribendum eſt.* Quod probè intelli- 70.

intelligens S. Proſper lib. 2. de Vocat. Gent. c. 13. ſic interrogat: *Cum ergo talia ad Cain loquetur Deus* (Gen. 4.) *nunquid ambiguum eſt, voluiſſe eum, & (quantùm ad illum medendi modum ſufficiebat) egiſſe, ut Cain ab illo impietatis furore reſipiſceret? Sed malitia pertinax inde facta eſt inexcuſabilior, unde debuit eſſe correctior.* Ergo, ſecundùm S. Proſperum, Cain habuit gratiam ſufficientem ſe corrigendi, ſaltem remotam, tametſi ſe non correxerit. Et quid hoc eſt aliud, quàm reſiſtere gratiæ, id eſt, eam fraudare ſuo effectu, quem alioquin, niſi malitia pertinax obſtetiſſet, potuiſſet habere, & habuiſſet?

*Probatur ex Proſp.*

*Quid ſit reſiſtere gratiæ.*

69. Si inferas; ergo Dei intentio fruſtratur, ſi, qui vocatur, non convertitur. Negatur Conſequentia. *Quia* (prout loquitur Cenſ. Duac. ſuprà) *in hominum vocatione, non ſolùm hominum converſionem abſolutè Deus intendit (ſemper enim tunc ſequeretur) ſed alios etiam fines; veluti ut declaretur humanæ vel infirmitatis, vel malitiæ magnitudo quanta ſit, cum non ſequitur vocantem. Item, ut excellentiam gratiæ ſuæ declaret, utpote ſine qua nemo credere vel pœnitentiam agere poſſit, ut ita* (ſecundùm Apoſt. Rom. 3. v. 19.) *omne os obſtruatur, & ſubditus fiat omnis mundus Deo: nec quiſquam* (juxta eundem 1. Cor. 1.) *niſi in Domino glorietur.* Hinc S. Proſper ſup. c. 26. *Gratia quidem Dei in omnibus juſtificationibus principaliter præeminet, ſuadendo exhortationibus, movendo exemplis, terrendo periculis, incitando miraculis* (ecce gratiæ exteriores) *dando intellectum, inſpirando conſilium, corque ipſum illuminando, & fidei affectionibus imbuendo* (quis non videt has eſſe gratias interiores?) *ſed etiam voluntas hominis ſubjungitur ei, atque conjungitur, quæ ad hoc prædictis eſt excitata præſidiis, ut divino in ſe cooperetur operi, & incipiat exercere ad meritum; quod ſuperno ſemine concepit ad ſtudium, de ſua habens mutabilitate, ſi deficit, de gratiæ opitulatione, ſi proficit. Quæ opitulatio per innumeros modos ſive occultos, ſive manifeſtos omnibus adhibetur, & quòd à multis refutatur, ipſorum eſt nequitiæ, quòd autem à multis ſuſcipitur, & gratiæ eſt divinæ, & voluntatis humanæ.* Ita Diſcipulus S. Auguſtini. Secutus utique ſuum Magiſtrum, dicentem lib. de Spir. & lit. c. 34. *Viſorum ſuaſionibus agit Deus, ut velimus & ut credamus: ſive extrinſecùs per Euangelicas exhortationes, ubi & mandata legis aliquid agunt, ſi ad hoc admoneant hominem infirmitatis ſuæ, ut ad gratiam juſtificantem credendo confugiat; ſive intrinſecùs, ubi nemo habet in poteſtate, quid ei veniat in mentem; ſed conſentire, vel diſſentire, propriæ voluntatis eſt. Ita ut* (utor verbis Trid. ſeſſ. 6 c. 5.) *tangente Deo cor hominis per Spiritus ſancti illuminationem, neque homo ipſe nihil omninò agat, inſpirationem illam recipiens; quippe qui illam & abjicere poteſt, neque tamen ſine gratia Dei movere ſe ad juſtitiam coram illo liberâ ſuâ voluntate poſſit.* Cæcus eſſe debet, qui non clarè perſpicit, tam Trident. quàm Aug. loqui etiam de gratia interiore.

*Per hanc reſiſtentiam non fruſtratur intentio Dei.*

*Declaratur hæc reſiſtentia ex S. Proſp.*

*Idemque ex S. Auguſtino,*

*& Concilio Trident.*

70. Quæritur; an ſemper homo habeat gratiam iſtam interiorem proximè ſufficientem, vel ſaltem remotè? Negat noſtra Concluſio; affirmat, inquam, primò, Deum non dare omnibus media proximè ſufficientia ad ſalutem. Patet in homine adulto, qui indiget ſpeciali gratiæ auxilio, tum ad eliciendos actus ſupernaturales, tum etiam ad perſeverandum diu in obſervatione legis naturalis. Porrò iſtud auxilium non ſemper de facto ſuppetit, ſed aliquando obtineri debet per quædam bona opera, præſertim per orationem, ut eſt communis ſententia Patrũ & Scholaſticorũ, inquit Smiſ. tract. 3. diſp. 6. n. 135. Et colligitur primò ex præcepto orandi tempore tentationis, quod præceptum ex cap. 6. & 26. Matth. colligunt Doctores, & præſertim Patres contra Pelagium ſcribentes, qui ex neceſſitate & obligatione orandi, præſertim tempore tentationis, neceſſitatem gratiæ divinæ ad vincendam tentationem concludunt. Cenſent ergo, ſæpè non niſi mediante oratione adeſſe auxilium ſufficiens ad vincendam tentationem, ac vitandum peccatum, ad quod tentatio impellit. Unde Innocentius in Epiſt. ad Concil. Carthag. dicit, non poſſe vinci tentationes à nobis, *Niſi magnis precibus gratia in nos implorata deſcendat.* Quod etiam docet Cœleſtinus in Epiſt. ad quoſdam Galliarum Epiſc. c. 6. Secundò; quia Aug. apertè ſupponit, non eſſe in poteſtate hominis vincere tentationes, niſi obtento auxilio per orationem; ſi autem haberet ſemper paratum auxilium ſufficiens ad vincendam tentationem, per illud poſſet ſemper, & ante orationem ſeu ſine illa vincere tentationem. *Ideo* (inquit lib. de Grat. & liber. arbitr. c. 16.) *jubet aliqua, quæ non poſſumus, ut noverimus, quid ab illo petere debeamus.* Et lib. de Nat. & grat. c. 43. *Non igitur Deus impoſſibilia jubet, ſed jubendo admonet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis.* Quam ſententiam ex Aug. deſcripſit Trid. ſeſſ. 6. cap. 11. Hucuſque Theod.

*Non omnes habent gratiam proximè ſufficientem.*

Smiſing. *Colligitur communiter primò ex præcepto orandi.*

Innoc.

Cœleſtin.

*Secundò ex D. Aug.*

Plura ad idem propoſitum adducam ex D. Aug. Concluſ. ſeq. ubi de obſervatione mandatorum. Interim propono unum ſcrupulum circà jam dicta, & quæro, cur hæc teſtimonia Innoc. Cœleſt. & D. Aug. non poſſint intelligi de oratione neceſſaria ad impetrandam gratiam efficacem, quâ non ſolùm poſſimus vincere tentationes, ſed etiam de facto vincamus. An fortè, quando habemus gratiam proximè ſufficientem, non oportet ampliùs orare? Audite Gelaſium Papam in dictis adverſus Pelagianam hæreſim tom. 2. Concil. apud Binium. pag. 257. *Æſtimant quidam, in hac vita poſſe quemquam hac perfectione conſiſtere, ut nullis prorſus fragilitatis humanæ pulſetur affectibus, nec corporeis exagitetur illecebris. Quod quiſque ſi propriis viribus ſuæ propoſito voluntatis exiſtimat adipiſci, ſemetipſum ſeducit, & veritas in eo non eſt. Nam ſi in ipſis primis hominibus, dum ſuâ nimium felicitate confidunt, & tantam Dei gratiam in vacuum recipientes, non orando, quod utique nuſquam feciſſe referuntur; nec de perceptis gratias referendo; nec ut eadem intemerata durarent ſuppliciter implorando, incolumes conſtare nequiverunt: quantò magis poſt prævaricationis ruinam, in quam malâ ſui confidentiâ Creatorem nullatenus inquirendo lethaliter inciderunt, abſque divino munere ſuis viribus vel ægri* 71.

*Proponitur aliquis ſcrupulus.*

*An qui habet gratiam proximè ſufficientem non debeat ampliùs orare*

Gelaſius.

*Probatur quòd ſic, exemplo primorum parentum.*

*ſtare non poſſunt, ſine quo nec integri perſiſtere valuerunt?* Cenſes autem, primos parentes non habuiſſe gratiam proximè ſufficientem? Scio quòd non cenſeas. Quomodò ergo ex neceſſitate orationis efficaciter colligitur defectus gratiæ, proximè ſufficientis, ad vincendam tentationem? Nam tametſi omnes haberent hanc gratiam, adhuc orare deberent, non ut poſſint vincere, ſed ut actu vincerent tentationem.

72. *Confirmatur auctoritate Cœleſtini.*

Hinc Cœleſtinus ſup. ait: *Neminem, etiam Baptiſmatis gratiâ renovatum, idoneum eſſe, ad ſuperandas diaboli inſidias, & ad evincendas carnis concupiſcentias, niſi per quotidianum adjutorium Dei, perſeverantiam bonæ converſationis acceperit* (non ait, poſſibilitatem perſeverandi, ſed ipſam perſeverantiam) *quod ejuſdem Antiſtitis* (intelligit Innocentium) *in eiſdem paginis* (Epiſt. cit.) *doctrinâ confirmat, dicens: Nam quàmvis hominem redemerit à præteritis ille peccatis: tamen ſciens illum iterum poſſe peccare, ad reparationem ſibi, quemadmodùm poſſet illum; & poſt iſta corrigere, multa ſervavit, atque quotidiana præſtat ille remedia, quibus niſi freti confiſiq; nitamur, nullatenus humanos vincere poterimus errores,* id eſt nullatenus vincemus. Nam ſequitur: *Neceſſè eſt enim, ut quo auxiliante vincimus, eo iterum non adjuvante vincamur.* Et certum eſt, D. Auguſtinum multis in locis per poſſibilitatem intelligere ipſum effectum ſeu actum, & per non poſſibilitatem non effectum, ſeu non actum. *Qui vult facere Dei mandatum* (inquit S. Doctor lib. de Grat. & liber. arbitr. cap. 17.) *& non poteſt* (hoc eſt non facit) *jam quidem habet voluntatem bonam, ſed adhuc parvam & invalidam; poterit autem* (id eſt, faciet) *cum magnam habuerit & robuſtam. Et quis iſtam* (interrogat ibidem) *etſi parvam dare cœperat, niſi ille, qui præparat voluntatem, & cooperando perficit, quod operando incipit? Quoniam ipſe ut velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens.* Et rurſum ait: *Vt velimus, ſine nobis operatur; cum autem volumus, & ſic volumus, ut faciamus* (non dicit, ut poſſimus facere) *nobiſcum operatur: tamen ſine illo, vel operante ut velimus, vel cooperante cum volumus, ad bona* (id eſt meritoria) *pietatis opera nihil valemus.*

*D. Aug. per poſſibilitatē ſæpius intelligit ipſum actum.*

73. *Gratia Dei ſemper eſt bona.*

Scitè ergo dixit idem S. Pater eod. lib. c. 15. *Gratia Dei ſemper eſt bona, & per hanc fit, ut ſit homo bonæ voluntatis, qui priùs fuit voluntatis malæ. Per hanc etiam fit, ut ipſa bona voluntas, quæ jam eſſe cœpit, augeatur, & tam magna fiat, ut poſſit implere* (& impleat) *divina mandata, quæ voluerit, cùm valdè perfectèque voluerit. Ad hoc enim valet, quod ſcriptum eſt* (Eccle. 15. juxta 70.) *Si volueris* conſervabis mandata, *ut homo, qui voluerit & non potuerit* (id eſt, non conſervaverit) *nondum ſe plenè velle cognoſcat, & oret ut habeat tantam voluntatem, quanta ſufficit ad implenda mandata* (id eſt quâ impleat mandata) *Sic quippe adjuvatur ut faciat, quod jubetur: tunc enim utile eſt velle cum poſſumus* (id eſt, facimus) *& tunc utile eſt poſſe, cum volumus* (& ſic volumus ut faciamus) *nam quid prodeſt, ſi quod non poſſumus* (id eſt, non facimus) *volumus; aut ſi quod poſſumus* (etiam proximè) *nolumus.* Igitur ſecundùm D. Aug. poteſt voluntas velle conſervare mandata, tametſi de facto non conſervet: ergo datur gratia ſufficiens ſeu poſſibilitatis, diſtincta à gratia efficaci. Certum quoque eſt, hanc non omnibus dari etiam fidelibus & juſtis (quantò minùs peccatoribus & infidelibus) & ſæpe multis precibus opus eſſe, ut in nos deſcendat. Atque idem dic de gratia proximè ſufficiente, nempe eam non dari omnibus, tam juſtis ad perſeverandum, quàm peccatoribus ad pœnitendum, vel infidelibus ad fidem ſuſcipiendam, aut parvulis ad recipiendum Baptiſmum, ut nimis clarum eſt. Quid enim dicit Apoſtolus Rom. 10. v. 29. *Quomodò credent ei, quem non audierunt? Quomodò autem audient ſine prædicante?* Jam autem plurimi infideles ſunt, quibus nunquam fides fuit annuntiata: ergo illi non habent media, proximè ſufficientia ad ſalutem, utpote qui non habeant media proximè ſufficientia ad fidem ſuſcipiendam; ſine qua tamen juxta eundem Apoſt. Hebræ. 11. v. 6. *Impoſſibile eſt placere Deo.*

Quid dicam de parvulis? Res ſeipsâ manifeſta eſt in omnibus illis, quibus, ob defectum alicujus cauſæ, requiſitæ ad applicandum remedium peccati originalis, illud non applicatur, ſine quo tamen nequeunt ſalvari, excepto caſu Martyrii, qui rariſſimus eſt. Igitur quando deficit aqua, deficit Miniſter, deficiunt cauſæ naturales, quibus indiget parvulus, ut in lucem edatur, & editus ſupervivat tempore competenti, conſtat tali parvulo non eſſe proviſum de medio proximè ſufficienti ad ſalutem. Et quàmvis hæc omnia adeſſent, nondum adeſt auxilium proximè ſufficiens, niſi adſit adultus, ſciens baptizare, & ad volendum baptizare ſufficienter proximè præventus, & excitatus à Deo; ita ut, formaliter loquendo, ipſa excitatio, proximè ſufficiens ad baptizandum, ipſa, inquam, ſola ſit medium proximè ſufficiens ad ſalutem parvuli; certum autem eſt illud medium non omnibus adeſſe, ſed quamplurimis deficere. Adeſt tamen omnibus auxilium remotè ſufficiens, ut Concluſ. præced. probatum fuit, non ſolùm de parvulis, ſed etiam de adultis tam fidelibus, quā infidelibus, juſtis juxta peccatoribus. Sed nunquid pro omni tempore?

Negat altera pars Concluſionis, dicens: *nec omni tempore &c.* Nolite mirari, quippe non omni tempore homo eſt capax talis auxilii, v. g. ſi dormit, ſi eſt ebrius, vel amens, vel aliter impeditus. Neque neceſſè eſt, ad hoc ut Deus dicatur ex ſincero affectu omnes homines velle ſalvos fieri, quòd omni momento adſit homini per auxilium ſufficiens; ſed ſatis eſt, ut aliquando hominem opportunè excitet ad ſalutem, ut ſi tunc velit gratiæ Dei cooperari, poſſit vel immediatè fidem ſuſcipere, pœnitere de peccato, aut perſeverare in juſtitia, vel certè aliquid præſtare, per quod obtineat ulteriora auxilia uſque ad illud, quod proximè ſufficiat: ſi enim tunc negligat divinam excitationem, non Deo, ſed ſibi imputet, ſi non ſalvetur. Datur itaque auxilium aliquod ultimum, poſt quod

*Præcluditur effugio.* quod non datur aliud. Audite qualiter naturam lapſam alloquatur S. Aug. l. cont. epiſt. fundam. c.37. *Neque tamen ſine miſericordia derelicta es, quæ certis rerum temporumque menſuris vocaris, ut redeas.* Quòd enim aliqui dicunt (auditis Theod. ſup. n.61.) Deum omni momento adeſſe homini per auxilium ſufficiens, explicantes hoc de præparatione divinæ voluntatis ad dandum omni momento ſufficiens auxilium, ſi per hominem non ſtet, quò minùs illud recipiat, id nec propriè, nec verè dictum eſt. Non quidem propriè; quia aliud eſt dare auxilium ſufficiens, aliud verò paratum eſſe dare; cùm iſtud ſit actus divinæ voluntatis, illud verò effectum divinæ voluntatis importet, quë conſtat non continuè, ſeu quovis momento poni; undè per hujuſmodi præparationem divinæ voluntatis non rectè auxilii continuatio explicatur.

*Aliud eſt dare auxilium, & aliud paratum eſſe dare.*

76. Non verè autem illud dici, probatur: quia quòd auxilium non omni momento detur, aliquando ſit ſine nova culpa, vel negligentia, aut reſiſtentia hominis; ſit ergo, quia Deus ob rationes, ſuæ ſapientiæ notas, non vult dare omni momento, ſed aliquando. Patet Sequela. Antecedens quoque experientiâ conſtat: nam ponamus infidelem, hodie divinâ gratiâ excitatum & invitatum ad ſuſcipiendam fidem, vocanti gratiæ reſiſtere, & poſtmodùm illius excitationis, ut & fidei ſuſcipiendæ, invincibiliter oblivisci, nec aliquo novo peccato mortali Dei iram mereri, & ſic poſt breve tempus mori abſque ulteriori excitatione ad fidem; quod ſanè frequenter contingere poteſt, talis abſque nova reſiſtentia vel culpa, illo brevi tempore poſt ultimum auxilium caret ulteriori auxilio. Eſtque idem in homine fideli & juſto; ſit enim quiſpiam talis, qui hodie excitetur ad fidem & juſtitiam conſervandam uſque in finem, & poſteà brevi tempore ante mortem, invincibiliter obliviſcatur quidpiam cogitare de illo auxilio, aut de perſeverantia; nec aliquo novo peccato ponat obicem ulteriori excitationi, & ſic moriatur in fide & juſtitia; qui ſanè abſque reſiſtentia vel culpa caret illo brevi tempore ulteriori auxilio: caret ergo, quia Deus non eſt paratus omni temporis momento illud dare. Hucuſque Smiſing. Satis benè, niſi quòd vix credam, ipſum vel alium habuiſſe illam experientiam, ſive in homine infideli, ſive in homine fideli & juſto.

*Quòd non omni momento detur probatur experientiâ in homine infideli.*

*Item in homine fideli & juſto.*

Smiſing.

77. *Objectio.* Si autem obiicias ei: ergo ille infidelis poſt ultimum auxilium jam non poteſt ſuſcipere fidē; & iſte fidelis & juſtus poſt ultimum auxiliū poteſt ſine auxilio Dei in fide & juſtitia perſeverare. Reſp n. 162. concedendo Conſequentiam quoad priorem partem, & negando quoad poſteriorem, loquendo de auxilio interno. Ratio conceſſionis eſt; quia nullum inde ſequitur incommodum: non enim pro quocumque tempore debet adeſſe poſſibilitas implendi præceptum fidei, ut patet in homine dormiente; ſed ſolùm pro tempore, quo urget præceptum, & pro illo etiam Deus aderit tali infideli per auxilium ſufficiens, ut patet ex dictis. Supponit autem caſus quòd talis infidelis (idē eſt de peccatore poſt ultimū auxiliū ad pœnitendū) ſupponit, inquā, quòd talis infidelis vel peccator poſt ultimū auxilium invincibiliter obliviſcatur præcepti fidei, vel pœnitentiæ. Alioqui, ſi recordaretur, teneretur illud implere, nec deeſſet Deus auxilio ſufficiente, ſaltem remotè, ad credendum vel pœnitendum. Porrò ratio negatæ conſequentiæ hæc eſt: quia ille fidelis & juſtus, licèt poſt ultimum auxilium ſine novo auxilio interno perſeveret, non tamen ſine auxilio Dei, ſed per illud ipſum ultimum auxilium, poſt quod, & per quod jam eſt perſeverantia talis hominis conſummata; ita ut nullum ei poſteà obſtaculum impedimentumque occurrat, ad quod removendum ac vincendum opus ſit novo auxilio, quod facilè ad breve tempus contingere poteſt; quia non ſemper homines ante finem vitæ continuè tentantur ad deſerendam fidem, aut juſtitiam. Dixi: talem hominem perſeverare poſſe ſine novo auxilio interno: quia illa protectio Dei, & diſpoſitio circumſtantiarum, vel prohibitio tentatoris, quâ ſit, ut illo brevi tempore non ſe offerat difficultas in perſeverando, inter auxilia gratiæ externa maximè reputanda eſt; quemadmodùm & illa gubernatio, quâ præmaturè rapitur juſtus, ne malitia mutet intellectum ejus Sap. 4. ut frequenter ponderat Aug. præſertim in libris de Bono perſeverant. & Prædeſt. Sanctorum. Hactenus Smiſ.

*Solvitur quoad priorem partem*

*Solutio poſterioris partis.*

*Protectio Dei prohibitio tentatoris &c. ſunt auxilia gratia externa.*

Et ſanè utriuſque gratiæ tam internæ, quàm externæ, meminit Aug. l.50. Homil. Homil. 23. dicens: *Adulter non fuiſti . . . . . Hoc tibi dicit Deus tuus. Regebam te mihi, ſervabam te mihi. Vt adulterium non committeres Suaſor defuit, ut Suaſor deeſſet, ego feci: locus & tempus defuit, & ut hæc deeſſent, ego feci.* Deinde de auxilio internæ inſpirationis, mox ſubdit: *Adfuit Suaſor, non defuit locus, non defuit tempus, ut non conſentires ego terrui* (per internam inſpirationem) *Agnoſce ergo gratiam ejus, cui debes, quod non admiſiſti.* Ubi loquitur, prout vides, de gratia efficaci, quam non ómnibus dari, neque omni tempore, imò multis negari, etiam pro ſemper, quis poteſt ambigere? Nemo ſanæ mentis. In præſenti porrò non diſputatur niſi de gratia vel proximè, vel remotè ſufficiente; ſufficiente, inquam, ad ſimpliciter, aut ad facilè ſeu abundanter poſſe rectè vivere, & ſalvari. Et quàmvis omnibus detur remotè ſufficiens ſaltem pro aliquo tempore; multi tamen carent auxilio ſeu gratiâ proximè ſufficiente; uti etiam gratiâ abundanter ſufficiente, quæ nimirum tribuit facile poſſe. Cæterùm haud difficulter reſpondetur ex jam dictis ad auctoritates D. Aug. quæ ab Adverſariis nobis obiiciuntur; & quia diffuſè de his tractavi in Theologia noſtra Sacramentali Parte 3.diſp.6.Sect.5.Concluſ.2.3. hìc tantùm breviter dico, aliquas debere intelligi de gratia efficaci, quæ ut jam ſtatim dictum fuit non omnibus datur; & quibus datur, non datur ex merito, quo iſti, quibus datur eam præ aliis, mere-

*78. Locus in quo meminit Aug. gratia interna & externa.*

*Multis negatur gratia efficax, etiam pro ſemper.*

*Reſpondetur ad auctoritates D. Aug.*

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

mereantur; quamquàm alioqui detur ex merito Chriſti ſecundùm ordinem executionis, licèt non intentionis, de quo plura infra, ubi de cauſa prædeſtinationis. Loca iſta ſunt: lib. 1. ad Simplic. q. 2 De Correpr. & grat. c. 7. Enchir. c. 94. & 103. ac ſeqq. lib. 2 contra duas Epiſt. Pelagia. c. 7. De Prædeſt. SS. c. 7. 8. & 9. Et idem (vel alius Auctor) lib. de Prædeſt. & grat. c. 3. 6. 7. 16. to. 7. operum Aug. & Epiſt. 7. ad Vitalem. Ita Smiſ. ſup. n. 182.

*Plurima loca in quibus Aug. agit de hac gratia.*

79. Aliis locis (ut placet Theod. n. 183.) agit D. Aug. de gratia proximè ſufficiente ad credendum, vel rectè vivendum; vel etiam de gratia, non quomodocumque ſufficiente ad poſſe, ſed ad facillimè poſſe rectè vivere, nempe de ſufficiente proximè ad credendum lib. 1, de Pecc. merit. & remiſſ. c. 22. & lib. de Corrept. & grat. c. 7. de gratia verò proximè ſufficiente ad rectè vivendum cap. 6. ejuſdem libri de Correp. & grat. De gratia denique abundanter ſufficiente, ſeu quæ tribuit facile poſſe cap. 7. ejuſdem libri aliiſque in locis, quando comparat vires hominis lapſi, & integri ad rectè vivendum & perſeverandum. Hæc ille. Qui & n. 184. notat, D. Auguſtinum, dum videtur dicere, hominem peccare in eo, quod vitare non poteſt, quandoque loqui de peccato impropriè ſumpto pro fomite concupiſcentiæ, ejuſque motibus inordinatis, qui non ſunt in noſtra poteſtate, & peccatum appellantur ab Apoſtolo ad Rom. 6. 7. & 8. Aliquando autem de poſſe, non ſimpliciter, ſed ex hypotheſi, quòd quis omninò nolit vitare peccatum, vel ab illo converti ad Deum cooperando gratiæ Dei. Cæteroqui apud Aug. 1. Retract. c. 15. lego ſequentia verba. *Peccati reum teneri quemquam, quia non fecit, quod facere non potuit, ſummæ iniquitatis & inſaniæ eſt.* Et l. 3. de Libero arbitr. c. 18. *Quis peccat in eo, quod nullo modo caveri poteſt? Peccatur autem; caveri igitur poteſt.* Item eod. lib. c. 17. *Hoc breviſſimum tene: Quæcumque iſta cauſa eſt voluntatis, ſi non ei poteſt reſiſti, ſine peccato ei ceditur.*

*Alia loca, in quibus agit de gratia ſufficiente.*

*Quomodò intelligẽdus Aug. quã do ait hominẽ peccare in eo, quod vitare non poteſt.*

*Nemo peccat in eo, quod nullo modo caveri poteſt.*

Nec prætereundum, quòd ſcribit cap 19. ſub
80. forma quæſtionis cujuſdam dicens: *Hic occurrit illa quæſtio, quam inter ſe murmurantes homines rodere conſueverunt, qui quodlibet aliud in peccando, quàm ſe accuſare parati ſunt. Dicunt enim: Si Adam & Eva peccaverunt, quid nos miſeri fecimus, ut cum ignorantiæ cæcitate, & difficultatis cruciatibus naſceremur, & primò erraremus, neſcientes quid nobis eſſet faciendum: deinde ubi nobis inciperent aperiri præcepta juſtitiæ, vellemus ea facere, & reſiſtente carnalis concupiſcentiæ, neſcio quâ, neceſſitate, non valeremus.* Et quid putatis S. Doctorem reſpondiſſe? An fortè: non eſt de ratione peccati naturæ lapſæ, ut pro nunc caveri poſſit? Abſit. Quid ergo? *Quibus* (inquit) *breviter reſpondetur, ut quieſcant, & adverſùs Deum murmurare deſiſtant. Rectè enim fortaſſis quererentur, ſi erroris, & libidinis nullus hominum victor exiſteret. Cùm verò ubique ſit præſens, qui multis modis per creaturam ſibi Domino ſervientem averſum vocet, doceat credentem, conſoletur ſperantem, diligentem exhortetur, conantem adjuvet, exaudiat deprecantem, non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras, ſed quod negligis quærere, quod ignoras: neque illud quod vulnerata membra non colligis; ſed quod volentem ſanare contemnis; iſta tua propria* (& propriè) *peccata ſunt. Nulli enim hominum ablatum eſt, ſcire utiliter quærere, quod inutiliter ignorat, & humiliter confitendam eſſe imbecillitatem, ut quærenti & confitenti ille ſubveniat, qui nec errat dum ſubvenit, nec laborat. Nam illud, quod ignorans quiſque non rectè facit, & quod rectè volens facere, non poteſt, ideò dicuntur peccata, quia de peccato illo liberæ voluntatis originem ducunt.* Probat à ſimili. *Sicut* (inquit) *linguam dicimus non ſolùm membrum quod movemus in ore dum loquimur; ſed etiam illud, quod hujus membri motum conſequitur, id eſt formam tenoremque verborum: ſecundùm quem modum dicitur alia lingua Græca, alia Latina; ſic non ſolùm peccatum illud dicimus, quod propriè vocatur peccatum, liberâ enim voluntate, & ab ſciente committitur; ſed etiam illud, quod jam de hujus ſupplicio conſequatur neceſſè eſt.* Sic ille. Et lib. 1. ad Bonif. c. 13. alio ſimili utitur, dicens: *Sicut ſcriptura manus cujuſque dicitur, quod manus eã fecerit.* Veluti ergo ſermo græcus non eſt propriè lingua, neque ſcriptura eſt propriè manus, ſed tantùm metaphoricè; ita peccatum neceſſitate expreſſum non propriè, ſed metaphoricè ſolùm eſt peccatum.

*Reſponſio S. Aug.*

*Et tamen* (utór verbis D. Aug. ſup. de lib. arbit. c. 18, *etiam per ignorantiam facta quædam improbantur, & corrigenda judicantur, ſicut in divinis auctoritatibus legimus. Ait enim Apoſtolus* (1. Tim, 1. v. 13.) Miſericordiam conſecutus ſum, quia ignorans feci. *Ait & Propheta* (Pſal. 24. v. 7) *delicta juventutis & ignorantiæ meæ ne memineris.* Planè improbantur quædam facta, ſcilicet facta per ignorantiam vincibilem, qualem habuit Apoſtolus, cui dictum eſt à Chriſto: *Durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare,* Act. 9. v. 5. quæ etiam ſunt propriè peccata, de quibus ait idem S. Doctor lib. de Nat. & grat. c. 17. *Aliud eſt, non curaſſe ſcire, quæ negligentiæ peccata etiam per Sacrificia quædam Legis videbantur expiari.* Et illicò ſubjungit de peccatis ex ignorantia invincibili, quæ non ſunt propriè peccata: *Aliud intelligere velle, nec poſſe, & facere contra legem, non intelligendo quid fieri velit. Vnde admonemur à Deo petere ſapientiam, qui dat omnibus affluenter* (Jacob. 1.) *utique his omnibus, qui ſic petunt, & tantùm petunt, quomodò, & quantùm res tanta petenda eſt.*

Sed nunquid & hæc peccata, quàmvis impropria, meritò improbanda? Collige ex D. Aug. ſup. de Lib. arbit. c. 18. ibi: *Sunt etiam neceſſitate facta improbanda, ubi vult homo rectè facere, & non poteſt: nam unde ſunt illæ voces* (apud Apoſt. Rom. 7, v. 19.) *Non enim quod volo bonum, hoc facio: ſed quod nolo malum hoc ago. Et illud* (ibid. v. 18.) *Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio. Et illud* (Galat. 5. v. 17.) *Caro concupiſcit adverſùs ſpiritum; ſpiritus autem adverſùs carnem.* An quia hujuſmodi neceſſitate facta improbanda, idcirco peccata propriè dicta? *Hoc peccatum* (inquit S. Aug. lib. 1. Retract. c. 15.) *de quo ſic* [illegible] *eſt locutus Apoſtolus, ideò peccatum vocatur, quia*

peccat

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

peccato factum eſt, & pœna peccati eſt, quandoquidem hoc de concupiſcentia carnis dicitur.

82. *Concupiſcentia non eſt peccatũ propriè dictum. Trident.*

Et verò concupiſcentia carnis num peccatum propriè dictum? *Hanc concupiſcentiam* (inquit Trid. ſeſſ. 5. §. 5. circà finem) *quam aliquando Apoſtolus peccatum appellat, S. Synodus declarat, Eccleſiam Catholicam nunquam intellexiſſe peccatum appellari, quod verè & propriè in renatis peccatum ſit; ſed quia ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat; ſi quis autem contrarium ſenſerit, anathema ſit.* Prorsùs, inquis, in renatis. Quid ergo in non renatis? Interrogo & ego: nunquid alia concupiſcentia in renatis, quàm in non renatis? Non eſt alia differentia inter illas, niſi quòd in renatis per Baptiſmum, totum id, quod veram & propriam peccati rationem habet ſublatum fuerit; ſecùs in non renatis, in quibus concupiſcentia adjunctum habet peccatum, ſaltem originale, & ſæpè plurima perſonalia, ad quæ concupiſcentia inclinat. Quod ergo de renatis dixit Trident. ſcilicet, concupiſcentiam in eis per ſe non eſſe peccatum propriè dictum, etiam affirmandum eſt de non renatis.

*Etiam in non renatis.*

83. *Ignorantia non eſt propriè peccatum. S. Aug.*

Et quod dictum eſt de concupiſcentia, id quoque dico de ignorantia, ſcilicet, non eſſe propriè peccatum; ſed ideò poſſe appellari peccatum, quia ex peccato orta eſt, & ad peccatum inclinat. Hinc S. Aug. lib. 3. de Libe. arbitr. cap. 20. eodem modo loquitur de ignorantia, & concupiſcentia, dicens: *Quamquàm anima in ignorantia & difficultate,* (hoc eſt, concupiſcentia) *nata ſit, non tamen ad permanendum in eo, quod nata eſt, aliquâ neceſſitate comprimitur.*

84. *Poteſt homo ſe ab ea liberare gratiâ adjuvante.*

Siquidem, ut ibidem ait: *Facultatem habet, ut, adjuvante Creatore, ſeipſam excolat, & pio ſtudio poſſit omnes acquirere & capere virtutes, per quas & à difficultate cruciante, & ab ignorantia cæcante liberetur ...... Etiam in ipſa ignorantia & difficultate liberam voluntatem petendi, & quærendi, & conandi non abſtulit, daturus petentibus, demonſtraturus quærentibus, pulſantibus aperturus.* Atque adeò *Ignorantia & difficultas* (auditis Aug. lib. 1. Retract. c. 9. & lib. de Bono perſev. cap. 11.) *etiamſi eſſent hominis primordia naturalia, nec ſic culpandus Deus, ſed laudandus eſſet. Quòd ſi* (anima) *agere noluerit* (inquit d. cap. de Libe. arbitr.) *peccati rea jure tenebitur tanquam quæ non benè uſa ſit eâ facultate, quam accepit.*

85. *Quæ liberè fiunt & perperàm ex ignorantia, & concupiſcentia, propriè ſunt peccata. S. Aug.*

Non igitur ignorantia & concupiſcentia propriè ſunt peccata, ſed ea, quæ ex ignorantia & concupiſcentia perperam fiunt, à quibus homines liberè poſſunt abſtinere, teſte eod. S. Patre lib. 1. Oper. imperf. cap. 47. ibi: *Multa ſunt, quæ agunt homines* (in ſtatu naturæ lapſæ) *mala, à quibus eis liberum eſt abſtinere; ſed nulli tam liberum eſt, quàm illi fuit, qui Deo ſuo, à quo erat conditus, nullo prorsùs vitio depravatus adſtabat.* Et cap. 105. ait: *Fateamur in hominibus* (lapſis) *eſſe peccata, quæ committuntur non neceſſitate ſed voluntate, quæ tantummodo peccata ſunt, unde ab eis liberum eſt abſtinere.* Enimverò *Vſque adeò* (inquit lib. de Vera Relig. c. 14.) *peccatum voluntarium eſt malum, ut nullo modo ſit peccatum* (propriè dictum) *ſi non ſit voluntarium* (hoc eſt, liberum libertate indifferentiæ) *Et quoniam peccari non dubium eſt, nec hoc quidem dubitandum video, habere animas liberum voluntatis arbitrium. Tales enim ſervos ſuos meliores eſſe Deus judicavit, ſi ei ſervirent liberaliter. Quod nullo modo fieri poſſet, ſi non voluntate, ſed neceſſitate ſervirent.* An putas, homines in hac vita ſolùm voluntariè, & non etiam liberè libertate indifferentiæ Deo ſervire?

*Peccatum eſt malum voluntariũ. S. Aug.*

Sed quorſum hæc omnia? Ut oſtendam, præclarè ac veriſſimè dixiſſe noſtrum Smiſing. D. Auguſtinum ſubinde loqui de peccato, impropriè accipiendo illud pro fomite concupiſcentiæ, ejuſque motibus inordinatis, qui non ſunt in noſtra poteſtate, adeòque vitari non poſſunt; ſic, inquam, Aug. aliquando intelligendum eſſe, dum aſſerit hominem peccare in eo, quod vitare non poteſt. Nec minùs rectè dixit, Auguſtinum aliquando ita loqui non de poſſe ſimpliciter, ſed ex hypotheſi, quod quis omninò nolit vitare peccatum, vel ab illo converti ad Deum, cooperando gratiæ Dei. Equidem hoc pacto ipſe Aug. tract. 53. in Joan. exponit illud Joan. 12. *Propterea non poterant credere, quia dixit Iſaias &c.* dicens: *Hoc Propheta prædixit, quia Deus futurum eſſe præſcivit. Quarè autem non poterant ſi à me quæratur, citò reſpondeo, quia nolebant: malam quippe eorum voluntatem prævidit Deus.* 86.

*Quomodò intelligendus Aug. quando ait, hominem peccare in eo quod vitare non poteſt.*

*Aliquando loquitur de non poſſe, ex hypotheſi quod homo nolit,*

Et multis interjectis: *Non mirum eſt*, inquit, *quia non poterant credere, quorum voluntas ſic ſuperba erat, ut, ignorantes Dei juſtitiam, ſuam vellent conſtituere.* Ac poſt pauca: *Qui ergo ignorans Dei juſtitiam, quâ juſtificatur impius, ſuam vult conſtituere, quâ convincatur ſuperbus, in hunc non poteſt credere: hinc & illi non poterant credere, non quia mutari in melius homines non poſſunt; ſed, quamdiu talia ſapiunt, non poſſunt credere.* 87.

*Quarè Iudæi non potuerint credere.* S. Aug.

Idemque docet lib. de Perfect. Juſtitiæ Reſponſ. 15. ibi: *Peccatum eſt, cùm vel non eſt charitas, quæ eſſe debet, vel minor eſt, quàm debet, ſive hoc voluntate vitari poſſit, ſive non poſſit: quia ſi poteſt, præſens voluntas hoc facit; ſi autem non poteſt, præterita voluntas hoc fecit.* Putas autem, quia hìc loquitur de non poſſe ſimpliciter? Noli putare: nam actutùm ſubjungit: *Et tamen vitari poteſt, non quando voluntas ſuperba laudatur; ſed quando humilis adjuvatur.* Quod idem eſt (inquit Smiſ. ſup. n. 185.) ac ſi dicat, ſimpliciter vitari poſſe, ſi quis velit cum gratia adjuvante humiliter ſe ſubdere Deo; licet non poſſit, ſi ſuperbè velit in inobedientia permanere, atque in ea ſibi complacere. 88.

*Exponitur aliquis locus D. Aug. de non poſſe ex hypotheſi.*

Smiſing.

Eodem modo exponi poteſt, quod habet Aug. in Expoſit. quarumdam propoſit. ex Epiſt. ad Rom. *Legimus in Exodo*; Obduratum eſt cor Pharaonis, ut tam evidentibus ſignis non moveretur. *Quòd ergo tunc Pharao non obtemperabat præceptis Dei, jam de ſupplicio veniebat. Non autem quiſquam poteſt dicere, obdurationem illam cordis immeritò accidiſſe Pharaoni, ſed judicio Dei retribuentis incredulitati ejus debitam pœnam. Non ergo hoc illi imputatur, quòd tunc non obtemperarit, quandoquidem obdurato corde obtemperare non poterat.* 89.

*Alius locus ſimilem habet expoſitionem.*



UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

*Pharao obtemperare non poterat, quia nolebat.*
S. Aug.

Sed quarè non poterat ſi à me quæratur, reſpondeo citò, quia nolebat. *Nam* (inquit S. Aug. Ser. 88. de temp.) *& in tantum non eum Deus irrevocabiliter obduravit, ut poſt decem plagas populum Dei non ſolùm dimitteret, ſed etiam exire compelleret. Quod autem decem plagis percuſſus feciſſe legitur, poſt primam caſtigationem implere potuiſſe cognoſcitur.* Et lib. 83. qq. q. 68. ait: *De Pharaone facilè reſpondetur, prioribus meritis, quibus afflixit in regno ſuo peregrinos, dignũ effectum, cui obduraretur cor, ut nec manifeſtiſſimis ſignis jubentis Dei crederet.*

90.
*Neque credidit Deo jubenti, etſi internè vocatus eſſet.*
S. Aug.

Ubi (inquit Smiſ. ſup.) non dicit, non potuiſſe eum credere, ſed non crediſſe, etiamſi vocatus eſſet; & loquitur Aug. de vocatione interna, quæ eſt propriè gratia excitans & præveniens; quia dicit in ead. q. *Nunquid ergo latebat Pharaonem, quantum boni conſecutæ fuerint terræ illæ per adventum Ioſeph. Illius ergo rei geſtæ cognitio vocatio ejus fuit, ut populum Iſraël miſericorditer tractans non eſſet ingratus. Quòd autem huic vocationi obtemperare noluit, ſed exercuit crudelitatem in eis, quibus humanitas & miſericordia debebatur, meruit pœnam, ut induraretur illi cor, & tantam cæcitatem mentis pateretur, ut tot & tantis, tamque manifeſtis Dei ſignis non crederet.* Non ait, non poſſet credere; ſed, non crederet.

91
Præterea d. Ser. 88. refert, immundiſſimos Manichæos ſacrilego furore Scripturam veteris Teſtamenti reprehendere ſolere, quod in ea referatur Dominus obduraſſe cor Pharaonis; imò quibuſdam Clericis ſolere id ſcrupulum generare, dicentibus intra ſe: *Cur enim iniquitas illa Pharaoni imputatur, cùm Dominus cor illius obduraſſe referatur?* Reſpondet autem obdurationem illam debere accipi, ut intelligamus: *Quia & obduratio non Dei potentiâ compellente perficitur; ſed Dei remiſſione vel indulgentiâ generatur: ac ſic Pharaonem non divina potentia* (ſcilicet compellens) *ſed divina patientia credenda eſt obduraſſe.*

*Quâ ratione Dominus obduraverit cor Pharaonis.*
S. Aug.
Smiſing.

Si autem (inquit Theod.) Deus ſubtraheret auxilium neceſſarium ad converſionem, certè Dei potentiâ compellente perficeretur obduratio; quia Dei voluntate (quæ ejus potentia eſt) fieret, quòd homo non poſſet converti.

92.
*Quomodò Deus obduret patientiâ.*

Dicit verò Aug. divinâ remiſſione & patientiâ fieri obdurationem: quod eſt intelligendum de fieri occaſionaliter; quia, cum Deus ſæpè hominem vocat, & patienter expectat ad pœnitentiã, & hic vocanti malitioſè reſiſtit; tandem Deus ſubtrahit auxilium, non ſufficiens, ſed abundans, quo talis malitia facilè vinceretur. Et hoc eſt, obdurationem fieri per hoc, quòd obduratus deſeratur à Deo, ut ſæpè addit Aug. ita ut divina patientia ſit remota; deſertio verò divina ſit proxima ratio occaſionalis obdurationis; efficiens denique ſit propria libertas obdurati, qui propterea converti non poteſt, quia non vult, ut rectè dixit Aug. ſup. tract. 53. in Joan. Hucuſque Theod.

*Quæ ſint cauſæ obdurationis.*

93.
*Quomodò benè dicat Aug.* Non ergo hoc

Rogat aliquis: Quomodò igitur benè dicit S. Aug. *Non ergo hoc illi imputatur, quòd tunc non obtemperarit*, quandoquidem juxta eam expoſitionem poterat ſimpliciter obtemperare? Reſpondet Smiſ. ſup. n. 186. Primò: librum illum parvæ eſſe auctoritatis, & minùs accuratè ſcriptum ab Auguſtino, adhuc juniore, & antequã eſſet Epiſcopus, ut ipſe S. Doctor monet lib. 1. Retract. c. 23. ubi quædam retractat, quæ in illo libro diſſeruerat. Sic ille. Et ante ipſum Exim. Dom. Guil. Eſtius inſignis Sectator D. Aug. ad dicta verba: *Non ergo hoc illi imputatur*, in libro, quo ipſe uſus fuit, & ego quotidie utor, propria manu ad marginem ſcripſit dicens: *Miror iſtud non retractatum ab Auguſtino.*

Interim quia non retractavit, Reſpondet 2. Smiſ. ſup. ſenſum illorum verborum eſſe, quòd tunc proximè quidem & formaliter, tamen non primò & radicitùs hoc ei imputetur; tum, quia paulatim per priora peccata infidelitatis, quæ tot ſignis viſis commiſerat, meruit indurari modo ſuperiùs explicato, quæ tamen obduratio eum à peccato non excuſabat: tum, quia ſuppoſitâ craſſâ ignorantiâ non poterat voluntas Pharaonis obtemperare Deo, & populum Iſraël dimittere; non enim poterat velle facere, quod non credebat ſe facere debere; quia tamen poterat illam ignorantiam craſſam (utpote voluntariam) tollere, poterat quoque obtemperare Deo, & populum dimittere. Ita Smiſ.

Et hoc eſt, quod verbis ſup. allegatis illicò ſubjungit Aug. quaſi pro ratione ſui dicti: *Sed quia dignum ſe præbuit, cui cor obduraretur primi infidelitate. Sicut enim in iis, quos elegit Deus, non opera, ſed fides inchoat meritum, ut per munus Dei benè operentur, ſic & in iis, quos damnat, infidelitas & impietas inchoat pœnæ meritum, ut per ipſam pœnam etiam malè operentur: ſicut & ſuperiùs* (Rom. 1.) *idem dicit Apoſtolus: Et quoniam non probaverunt Deum in notitia habere, tradidit illos Deus in reprobum ſenſum; ut faciant, quæ non conveniunt.*

Exiſtimas porrò S. Auguſtinum excuſaſſe Gentiles illos à peccatis formalibus? Audi quid dicat lib. 5. contra Jul. c. 3. *Propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum in immunditiam, & cætera, quæ ſequuntur. Et hîc utique vides cauſam, propter quam traditi ſunt, ſine ulla ambiguitate monſtratam. Dixit quippe, quid mali ante feciſſent, & adjunxit:* Propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum. *Proinde præcedentis eſt hæc pœna peccati; & tamen etiam ipſa peccatum eſt, quod verbis conſequentibus explicat.* Idem dico ego de Pharaone obdurato: quòd tunc non obtemperarit, præcedentis eſt pœna peccati; & tamen etiam ipſa peccatum eſt. *Videns Pharao* (inquit Script. Exod. 9. v. 34.) *quòd ceſſaſſet pluvia, & grando, & tonitrua, auxit peccatum.* Et Exod. 10. v. 16. ait Pharao: *Peccavi in Dominum Deum veſtrum, & in vos. Sed nunc dimittite peccatum mihi.*

Non ergo dubium eſſe poteſt, quin Pharao peccaverit etiam demeritoriè, quando animo obdurato non obtemperavit voci ſeu præcepto Dei. Nam per obdurationem non tollitur liberũ arbitriũ, teſte S. Aug. lib. de Grat. & libe. arbitr. c. 23. ibi: *Quando ergo auditis dicentem Dominum: Ego Dominus ſeduxi Prophetã illũ* (Ezech. 14. v. 9.)

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

*Obdura-[illegible] quem non [illegible]tur li-[illegible] ex [illegible] Aug.*

v.9.) *& quod ait Apoſt.* Cujus vult miſeretur, & quem vult obdurat (Rom.9. v.18.) *in eo, quem ſeduci permittit vel obdurari, mala ejus merita credite; in eo verò, cujus miſeretur, gratiam Dei, non reddentis mala pro malis, fideliter & indubitanter agnoſcite. Nec ideò auferatis à Pharaone liberum arbitrium, quia multis locis dicit Deus :* Ego induravi Pharaonem, *vel,* induravi, *vel* indurabo cor Pharaonis. *Non enim propterea ipſe Pharao non induravit cor ſuum. Nam & hoc de illo legitur, quando ablata eſt ab Ægyptiis cynomya, dicente Scripturâ* (Exod. 8. v. 32.) Et ingravavit Pharao cor ſuum, & in iſto tempore, & noluit dimittere populum (ita legit Aug. vulgatus autem textus habet : *Et ingravatum eſt cor Pharaonis, ita ut nec hac quidem vice dimitteret populum) Ac per hoc & Deus induravit per juſtum judicium, & ipſe Pharao per liberum arbitrium;* ſcilicet liberè tranſgrediendo præceptum Domini.

*Pharao ſe ipſum induravit per liberum arbitrium.*

98\. Elegánter ergo & appoſitè dixit S. Proſp. ad Object. Vincent. Reſponſ.15. *Nemini Deus correctionis adimit viam, nec quemquam boni poſſibilitate diſpoliat. Quia qui ſe à Deo avertit, ipſe & velle, quòd bonum eſt, & poſſe ſibi ſuſtulit.* Poſſe, inquam, concomitans, quâ ratione dicimus (inquit Smiſ. ſup. n.188.) rem non poſſe non eſſe, poſito quòd ſit; v.g. Petrum non poſſe non ambulare, poſito quòd ambulet : eodem igitur modo, poſito quòd homo ſe avertat à Deo, non poteſt ſe non avertere ab illo. Ita Theod. Neceſſè, inquam, eſt ſe avertere neceſſitate conſequentiæ, non conſequentis.

*Quomodo, qui peccat, auferat ſibi poſſe bonū. S. Proſp.*

*Smiſing.*

99\. Atque conſimiliter idem Auctor explicat, quod ait Trident. ſeſſ.6. cap.11. *Deus ſuâ gratiâ ſemel juſtificatos non deſerit, niſi ab eis priùs deſeratur.* Intelligit, dico, hæc verba de deſertione concomitante, non de antecedente, quaſi Deus ſubtrahat gratiam ſufficientem requiſitam ad operandum, quam gratiam prævenientem vocant. Undè ſolùm ſenſus eſt, Deum non dare gratiam adjuvantem ſeu concomitantem, ſi homo nolit prævenienti gratiæ cooperari cum gratia adjuvante, quæ ex parte Dei parata eſt, ſeu (quod in idem redit) Deum nolle operari opus ſalutis in homine, niſi velit homo cooperari ipſi Deo. Ita præfatus Auctor.

*Qualiter intelligendum, quod ait Trid. ſeſſ.6.c.11. Deus ſuâ gratiâ &c.*

*Smiſing.*

100\. Interim, quod Tridentinum, idipſum antea docuerat D. Auguſtinus lib. de Natur. & grat. cap.26. ibi: *Ipſe Deus cum per mediatorem Dei & hominum, hominem Ieſum Chriſtum ſpiritaliter ſanat ægrum, vel vivificat mortuum, id eſt, juſtificat impium; & cum ad perfectam ſanitatem, hoc eſt, ad perfectam vitam juſtitiamq́ perduxerit, non deſerit* (gratiâ ſuâ actuali) *ſi non deſeratur, ut piè ſemper juſtéque vivatur. Sicut enim oculus corporis, etiam pleniſſimè ſanus, niſi candore lucis adjutus, non poteſt cernere; ſic homo etiam perfectiſſimè juſtificatus, niſi æternâ luce juſtitiæ divinitùs adjuvetur, rectè non poteſt vivere. Sanat ergo Deus non ſolùm ut deleat, quod peccavimus; ſed ut præſtet etiam, ne peccemus.* Quis non feſtinè cognoſcit ex hoc ſimili, quòd D. Aug. ibi loquatur de ſubtractione gratiæ actualis? Non tamen omnis omninò, ſed proximæ & abundantis.

*Aug. idem docuit, quod Trident.*

*Explicatur à Aug. ſimilitudine oculi corporei,*

Nam Enarr. in Pſal. 6. ad iſtum verſ. *Turbatus eſt in ira &c.* adducens iſtud ad Rom. 1. *Dedit illos Deus in reprobum ſenſum,* ait : *Ea eſt cæcitas mentis. In eam quiſquis datus fuerit, ab interiore Dei luce ſecluditur. Sed nondum penitùs, cum in hac vita eſt. Sunt enim tenebræ exteriores, quæ magìs ad diem judicii pertinere intelliguntur, ut penitùs extra Deum ſit, quiſquis, dum tempus eſt, corrigi noluerit. Credamus* itaque cum S. Proſp. lib.1. de Vocat. Gent. cap.21. *nullis hominibus* (in hac vita degentibus) *opem gratiæ in totum fuiſſe ſubtractam.* Et interim conſentiamus D. Auguſtino dicenti lib. 1. de Gratia Chriſti c. 47. *Non ſolam poſſibilitatem in homine, etiamſi nec velit, nec agat benè, ſed ipſam quoque voluntatem & actionem, id eſt, ut benè velimus, & benè agamus, quæ non ſunt in homine, niſi quando benè vult, & benè agit, divinitùs adjuvari, & ſic adjuvari, ut ſine illo adjutorio nihil benè velimus & agamus; eamque eſſe gratiam Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, in qua nos ſua, non noſtra juſtitia juſtos facit, ut ea ſit vera noſtra juſtitia, quæ nobis ab illo eſt.* 101.

*Deus non ſubtrahit in hac vita omnem omninò gratiā. S. Aug.*

*S. Proſp.*

*Deus in homine operatur & bonam voluntatē & actionem, ex S. Aug.*

Sed gratia, de qua hìc loquitur, gratia efficax eſt, quam, ut non ſemel antè diximus, conſtat pluribus hominibus ſubtrahi. Et de eadem intelligi debet, quod habet eod. lib. c. 14. in fine: *Non eſt conſequens, ut qui poteſt venire, etiam veniat, niſi id voluerit atque fecerit. Sed omnis, qui didicit à Patre, non ſolùm poteſt venire, ſed venit; ubi jam & poſſibilitatis profectus, & voluntatis affectus, & actionis effectus eſt.* Ubi S. Aug. contra Pelagianos docet, liberum arbitrium nec ad velle facere, nec ad facere eſſe ſufficiens abſque gratiæ adjutorio; contra Pelagianos, inquam, qui ita diſtinguebant inter poſſe facere, velle facere & facere, ut dicerent, poſſe facere eſſe à Deo, velle autem facere, & facere eſſe ex nobis, per poſſe intelligentes ipſam nudam potentiam liberi arbitrii, quam habemus à Deo, ut videre eſt apud Aug. eod. lib. c. 4. 102.

*Loquitur ibi Aug. de gratia efficaci.*

Porrò cum adjutorio Dei liberum arbitrium eſſe ſufficiens, etiam cum actu non vult, nec facit, ſæpè docet (inquit Smiſ. ſup. n.187.) Aug. diſtinguens gratiam ſufficientem (de qua ſola hìc tractamus) ab efficaci, ut patet lib. 2. de Peccat. merit. & remiſſ. c. 17. de Grat. & lib. arbitr. c. 18. lib. 83. qq. q.68. lib. de Corrept. & grat. c. 11. & 12. & lib. de Prædeſt. SS. c. 16 & alibi ſæpè. Sic ille. 103.

*Liberū arbitriū cum gratia eſt ſufficiens, eſto actu nō velit aut faciat.* Smiſing.

Subſcribo verba S. Aug. ex 1. loco citato: *Cùm* (inquit) *voluntate humanâ, gratiâ adjuvante divinâ, ſine peccato in hac vita poſſit homo eſſe, cur non ſit, poſſem facillimè ac veraciſſimè reſpondere, quia homines nolunt. Sed ſi ex me quæritur, quarè nolint, imus in longum. Verumtamen etiam hoc ſine præjudicio diligentioris inquiſitionis breviter dicam. Nolunt homines facere, quod juſtum eſt, ſive quia latet, an juſtum ſit, ſive quia non delectat. Tantò enim quidquam vehementiùs volumus, quantò certiùs quàm bonum ſit novimus, eoque delectamur ardentiùs. Ignorantia igitur & infirmitas vitia ſunt, quæ impediunt voluntatem, ne moveatur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abſtinendum. Vt autem* 104.

*Probatur ex D. Aug.*

*Quarè homines nolint facere bonum.*



UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

*innoteſcat, quod latebat, & ſuave fiat quod non delectabat, gratiæ Dei eſt, quæ hominum adjuvat voluntates: quâ ut non adjuventur, in ipſis itidem cauſa eſt, non in Deo; ſive damnandi prædeſtinati ſint propter iniquitatem ſuperbiæ, ſive contra ipſam ſuam ſuperbiam judicandi & erudiendi, ſi filii ſint miſericordiæ.* Igitur datur, ſecundùm Aug. gratia poſſibilitatis, cùm actu homo non vult, nec facit. Ac per hoc ſcitè dixit lib. 1. de Grat. Chriſti c. 25. *Non ſolùm Deus poſſe noſtrum donavit atque adjuvat; ſed etiam velle & operari operatur in nobis*; quod Pelagius negabat, & de quo erat potiſſima controverſia.

105. *An meritò exclamaverit Apoſt. Rom. 11.* O altitudo *&c.*

Atque adeò jure meritiſſimo Apoſt. ad Rom. 11, v. 33. erupit in has admirantis voces: *O altitudo divitiarum* &c. & D. Aug. lib. de Spir, & lit. cap. 34. *Si ad illam profunditatem ſcrutandam quiſquam nos coarctet; cur illi ita ſuadeatur, ut perſuadeatur; illi autem non ita, duo ſola occurrunt interim, quæ reſpondere mihi placet:* O altitudo divitiarum! *&*, Nunquid iniquitas apud Deum? *Cui reſponſio iſta diſplicet, quærat doctiores; ſed caveat, ne inveniat præſumptores.* Ergo ſecundùm D. Aug. aliquibus ſuadetur, ita tamen ut non perſuadeatur. Et à quo ſuadetur? Nonne à Deo? De tali utique ſuaſione loquitur Aug. & non ſolùm de extrinſeca, ſed etiam de interna, ut patet ex contextu d. cap.

106. *Objectio.*

Sed dicet aliquis: ſi ex generali decreto Dei omnibus ſuppetat illa gratia ſufficiens, ſeu auxilia neceſſaria ad ſalutem à Deo conceduntur, fruſtra pro eis oratur. Reſpondet Smiſ. ſup. n. 188. nos petere auxilia gratiæ, non quomodocumque ſufficientia, quæ omnibus dantur ex communi lege; ſed partim proximè, partim abundanter ſufficientia, cum quibus facilè poſſimus declinare à malo, & facere bonum. Addo ego (ſalvo meliori) nos petere non ſolùm ſufficientia auxilia gratiæ, ſed etiam efficacia, quibus non ſolùm poſſimus declinare à malo, & facere bonum, ſed etiam actu declinemus & faciamus.

*Solvitur ex Smiſing.*

107. *Sola voluntas non ſufficit ad expianda aut evitanda peccata.*

Enimvero licèt peccata præterita non expientur, nec futura vitentur, ut benè notat D. Aug. lib. de Nat. & grat. c. 18. *Niſi voluntas adſit, tamen ut fiat, voluntas ſola non ſufficit; ideò pro hac re* (ſcilicet, ut fiat) *nec ſuperflua, nec impudens Domino immolatur oratio. Nam quid ſtultius, quàm orare ut facias, quod in poteſtate habeas?* Quid autem ſit in poteſtate aliquid habere, explicat idem S. Doctor lib. 2. de Peccat. merit. cap. 6. dicens: *Quis optat, quod in poteſtate ſic habet, ut ad faciendum nullo indigeat adjumento?* Sed nunquid, qui habet gratiam ſufficientem, quæ ex communi lege datur, nullo alio indiget adjumento ad faciendum? Imò quàm maximo, ſcilicet adjumento ſeu gratiâ efficaci. De quibus omnibus, & aliis huc ſpectantibus, vide me in Theol. Sacramentali Part. 3. Diſp. 6. Sect. 5. Concluſ. 2. & 3. & plura ſtatim dicemus.

*Quid ſit habere aliquid in poteſtate.*

Quæro namque; an ergo aliquis poſſit vitare in tota vita ſua omnia peccata etiam venialia. Reſpondeo autem Primò, eritque.

## CONCLUSIO III.

### Nemo in tota Vita ſua poteſt vitare omnia peccata, etiam venialia, ſine ſpeciali privilegio, quod conceſſum fuiſſe B. Virgini tenet Eccleſia.

ITa noviſſimè definivit Concil. Trid. ſeſſ. 6. can. 23. *Si quis hominem ſemel juſtificatum dixerit . . . . poſſe in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, niſi ex ſpeciali Dei privilegio, quemadmodùm de B. Virgine tenet Eccleſia; anathema ſit.* Igitur, ſecundùm fidem Catholicam, ſine ſpeciali Dei privilegio nemo in tota vita poteſt vitare omnia peccata venialia, & cum ſpeciali privilegio poteſt.

Sicque intelligendum eſt, quod priùs docuerat Concil. Milevitanum 2. hiſce verbis: *Item placuit, quod ait S. Ioan. Apoſt.* (1. Epiſt. c. 1. v. 8.) Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt, *quiſquis ſic accipiendum putaverit, ut dicat, propter humilitatem oportere dici, nos habere peccatum, non quia veritas eſt; anathema ſit.* Probationem adjungit ex verbis ejuſdem Apoſtoli ſubſequentibus: *Si confeſſi fuerimus peccata noſtra, fidelis eſt & juſtus, ut remittat nobis peccata, & mundet nos ab omni iniquitate. Vbi* (inquit Concil.) *ſatis apparet, hoc non tantùm humiliter, ſed etiam veraciter dici. Poterat enim Apoſtolus dicere:* Si dixerimus, quia non habemus peccatum, noſipſos extollimus, & humilitas in nobis non eſt. *Sed cum ait:* Noſipſos decipimus, & veritas in nobis non eſt, *ſatis oſtendit, eum qui ſe dixerit non habere peccatum, non verum loqui, ſed falſum.* Ita d. Concilium cap. 6.

Et cap. 7. idipſum confirmat ex Oratione Dominica, & aliis Scripturis dicens: *Item placuit, ut quicumque dixerit, in Oratione Dominica ideò dicere ſanctos:* Dimitte nobis debita noſtra, *ut non pro ſeipſis hoc dicant, quia non eſt eis jam neceſſaria iſta petitio; ſed pro aliis, qui ſunt in ſuo populo peccatores; & ideò non dicere unumquemque ſanctorum:* Dimitte mihi debita mea; *ſed,* Dimitte nobis debita noſtra, *ut hoc pro aliis potiùs, quàm pro ſe juſtus petere intelligatur; anathema ſit.*

*Sanctus enim & juſtus erat Apoſtolus Iacobus, cùm dicebat* (cap. 3. v. 2.) In multis enim offendimus omnes. *Nam quarè additum eſt* Omnes, *niſi ut iſta ſententia conveniret & Pſal.* (142. v. 2.) Non intres in judicium cum ſervo tuo, quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens? *Et in oratione ſapientiſſimi Salomonis* (Eccle. 7. v. 21.) Non eſt homo, qui non peccet: & in lib. Job (cap. 37. v. 7.) in manu omnium hominis ſignat, ut ſciat omnis homo infirmitatem ſuam. *Vndè etiam Daniel ſanctus & juſtus, cùm in oratione pluraliter diceret* (Dan. 9. v. 5.) Peccavimus, iniquitatem fecimus, *& cætera, quæ ibi*

*ibi veraciter & humiliter confitetur; ne putaretur, quemadmodùm quidam ſentiunt, hæc non de ſuis, ſed de populi ſui potiùs dixiſſe peccatis, poſtea dixit:* Cùm orarem & confiterer peccata mea, & peccata populi mei Domino Deo noſtro, *noluit dicere, peccata noſtra, ſed populi ſui dixit & ſua, quia futuros iſtos, qui tam malè intelligunt, tanquàm Propheta prævidit.* Quis deſideret plura teſtimonia Scripturæ?

112\. Rectè ergo dixit Concil. Trident. ſup. c. 11. *Licèt in hac mortali vita, quantumvis ſancti & justi, in levia ſaltem & quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur, peccata quandoque cadant; non proptereà deſinunt eſſe juſti: nam juſtorùm illa vox eſt & humilis & verax:* Dimitte nobis debita noſtra: *quò fit, ut juſti ipſi eò magìs ſe obligatos ad ambulandum in via juſtitiæ ſentire debeant, quò liberati jam à peccato, ſervi autem facti Deo, ſobriè, juſtè, & piè viventes proficere poßint per Chriſtum Ieſum, per quem acceſſum habemus in gratiam iſtam. Deus namque ſuâ gratiâ* (actuali) *ſemel juſtificatos non deſerit, niſi ab eis priùs deſeratur.*

*Propter peccata venialia non deſinit aliquis eſſe juſtus. Trident.*

113\. Quòd autem per gratiam hìc intelligi debeat gratia actualis, ut per parentheſim notavi, & alibi adhuc dixi, benè advertit Pallavicinus Hiſtor. Concil. Trid. lib. 8. c. 14. n. 6. dicens: Qua in re Lectores admonitos volo, hìc Synodum (dum ait, à Deo nos non deſeri, niſi ipſe priùs deſeratur à nobis) non intendiſſe ſolùm ſignificare, non priùs nos deſeri à Deo, ablato gratiæ habitu, fractoque amicitiæ contractæ vinculo, prout hunc locum Scriptor aliquis interpretatur; ſed etiam declarare voluit, à Deo, non niſi priùs à nobis offenſo, nos deſeri divinis auxiliis ſubtractis. Hanc fuiſſe Concilii mentem ex eo patet, quòd prima horum Decretorum deſignatio aliis conſtabat verbis, quibus palam fiebat, hìc agi de gratia actioſa, hoc eſt, de divino auxilio, non de habitu gratiæ, hoc eſt, de forma juſtum hominem per ſeipſam reddente: cùm in Decreto ſubjiceretur, ab hujuſmodi gratia ſæpè effici, ne Deus deſeratur, & quandoque præſtari, ut homo ad Deum regrediatur, poſtquam ipſum deſeruit; quæ verba non niſi de gratia actioſa, nimirum de divino auxilio intelligi poterant, & ſolius brevitatis causâ reliqua ſunt omiſſa. Hucuſque præfatus Auctor.

*Ipſa dicta Trid. Deus ſuâ gratia ſemel juſtificatos non deſerit &c. intelligendum de gratia actuali. Pallavicinus.*

*Probatio.*

114\. Sed enim, dicet aliquis: hæc omnia teſtimonia Scripturæ tantùm videntur probare, neminem in tota vita ſua eſſe ſine peccato, ſive omnes aliquando peccare propter humanam fragilitatem, & continuam impugnationem fomitis & dæmonis, & propter quamplurimas occaſiones inducentes ad venialia. Ex quo ergo probatur, neminem poſſe ea vitare? Nam à negatione actûs non rectè argumentamur ad negationem potentiæ; ſed vice verſâ à negatione potentiæ ad negationem actus. Hæc res longiorem expetit diſcuſſionem, quam reſervo pro ſequenti Concluſione.

*Objectio.*

115\. In præſenti reſtat videre, an ſit fidei D. Virginem nunquam in tota vita peccaſſe venialiter ex ſpeciali privilegio, alteri nulli conceſſo. Dicit quidem Concil. Trident. ſup. citatum can. 23. Eccleſiam tenere, quòd B. Virgo ex ſpeciali privilegio vitaverit in tota vita peccata omnia etiam venialia; non tamen damnat contrarium ſentientes, prout ſolet in aliis veritatibus fidei explicandis anathema dicere contradicentibus. Unde (inquit Smiſ. ſup. n. 146) ſolùm videtur illud privilegium Virginis referre ex communi opinione fidelium, quam noluit Concilium videri damnaſſe illâ generali ſententiâ, quam ſub anathemate definit credendam, quòd nullus abſque ſpeciali privilegio poſſit in tota vita omnia peccata venialia vitare, & ideò B. Virginem hoc privilegio gaviſam, piè teneri poſſe ſignificat. Sic ille.

*An ſit fidei D. Virginē nunquam peccaſſe venialiter.*

*Ratio dubitandi.* Smiſing.

116\. Sed nunquid hæc doctrina placet Theodoro? Nequaquam. Etenim n. 147. ait: Tenendum nihilominus eſt, eſſe de fide, quòd B. Virgo nullum unquam habuerit veniale peccatum: nam ita definitum eſſe in quodam Concilio Claramontano, præſidente ipſo Papa Urbano II. teſtis eſt Vega lib. 14. c. 18. Ita Smiſ. Nunquid audiendus? Feſtinè cognoſces ex genuinis verbis Vegæ, qui ad objectionem primam Calvini contra hanc veritatem (utputa: Eccleſiam, ais, quid appellant niſi Concil. Claramontanum?) Reſpondet: At ego ut ingenuè fatear me neſcire, quod neſcio, nec in Concil. Claramontano ſtatutum eſſe ſcio, B. Virginem caruiſſe peccato veniali. Nam Concilium hoc nunquam legi, nec in libro Conciliorum habetur. Tantùmque memini in Baſilienſi Concilio definitum legiſſe, caruiſſe illam omni peccato etiam originali. Sic ille. Ego legi d. Concilium apud Binium to. 3. Concil. part. 2. Itemque apud Franciſcum Longum in Summa Conciliorum omnium ab ipſo edita. Verùm enimvero, ut ingenuè fatear, nulla in iſto Concilio fit mentio præſervationis B. Virginis ab omni peccato veniali. Sed quid tum?

*Smiſing. tenet eſſe de fide, ex quodam Concil. Claramontano.*

Vega.

*Sed hæc veritas in d. Concil. non reperitur.*

117\. Vega ſup. proſequitur: Neque opus ſanè eſt, hoc olim ſcriptis definiiſſe Eccleſiam, ut verè dixerit noſtra Synodus (intelligit Concil. Trid. cui ipſe interfuit) Eccleſiam tenere hoc Virginis privilegium; ſed ſatìs eſt, ſi id ut certum & indubitatum ſemper crediderit maxima & præcipua pars Eccleſiæ. Non illa ſola tenet Eccleſia, quæ certis & ſcriptis Canonibus definita ſunt à Summis Pontificibus, & Generalibus Conciliis: quin verò & omnia, quæ ab eis ſtatuta ſunt, priùs ut certa tenebantur ab Eccleſia, & quia tali & tanta certitudine ab ea tenebantur, ſcriptis mandatum eſt, ut ab omnibus Catholicis totâ mentis devotione ſuſciperentur & crederentur. Si tamen, ut innuis (alloquitur Calvinum) in Concilio Claramontano hæc veritas ſtabilita eſt; inde major tua convincitur impietas, qui non tantùm Tridentino, ſed & Claramontano reſiſtis, quod velut Patrum tuorum ornamentum debebas tueri. Hucuſque noſter Vega.

*Aliter ergo probatur, ex Vega.*

118\. Ubi ſolùm ſignificat, Calvinum hanc definitionem Concilii Claramontani admittere, & nihilominùs contrarium impudenter tenere.

*Communis traditio Eccleſiæ facit rem fidei.* Smiſing.

Ac propterea Smiſing. ſup. poſt allegatam d. definitionem (veram ſeu falſam) Concilii Claramontani, ſtatim ſubjungit: Et idem, licèt non definiat Tridentinum, tanquàm communem Eccleſiæ ſententiam refert: communis autem traditio Eccleſiæ de aliqua veritate ſufficit, ut illa veritas ſit fidei, ut patet in Baptiſmo parvulorum, & ſimilibus, juxta illud D. Aug. lib. 4. de Baptiſ. c.23. *Quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi auctoritate Apoſtolicâ traditum rectiſſimè creditur.* (S. Aug.)

119. *Illius traditionis in caſu propoſito teſtes ſunt, omnes Patrum libri.*

Ejuſdem Eccleſiaſticæ traditionis (proſequitur Theod.) teſtes ſunt omnes Patrum libri, in quibus omnimodam Virginis innocentiam miris laudibus exaggerant, quorum teſtimonia hìc referre, nimium extra propoſitum foret, cùm id præſtandum ſit in materia de Incarnatione. Denique, Patrum traditionem ſecuti ſunt omnes Scholaſtici (præter Gregorium) in 3. diſt. 3. Alenſis 3. p. q. 9. D. Tho. 3. p. q, 27. a. 4. & Comment. ibidem, à qua communi traditione abſque fundamento receſſit Greg. 2. diſt. 30. q. 2. a. 1. ut jam oſtendo.

*Patres ſequuntur Scholaſtici, præter Gregor.*

120. *Ejus fundamentum.*

Fundamentum ipſius erat, quod ait Aug lib. 5. contra Jul. c. 9. *Illud ſanè magnum verumque dixiſti* (alloquitur Julianum) *cùm poſuiſſes teſtimonium Apoſtoli Petri* (1. Petr. 2.) *dicentis:* Qui peccatum non fecit, *notandum eſſe, quòd judicaverit Apoſtolus ſufficere ad oſtendendum in Chriſto nullum fuiſſe peccatum, quia dixit nullum eum feciſſe peccatum. Vt doceret, inquis, quia qui non fecit, habere non potuit. Omninò veriſſimum eſt. Profectò enim peccatum etiam major feciſſet, ſi parvulus habuiſſet. Nam propterea nullus eſt hominum præter ipſum, qui peccatum non fecit grandioris ætatis acceſſu, quia nullus eſt hominum præter ipſum, qui peccatum non habuerit infantilis ætatis exortu.* Ex quibus verbis concludebat Gregorius, B. Virginē aliquando peccaſſe ſaltem venialiter; quia exiſtimabat, eam conceptam fuiſſe in peccato originali. Sed cùm oppoſitum probabilius ſit, ut loquitur Smiſing. ſup. & benè docet Scotus 3. diſt. 3. q. 1. potiùs ex illis verbis D. Aug. concluditur, eam nec habuiſſe unquam peccatum veniale.

*Non valet.*

121. *D. Aug. excipit B. Virginem à generalibus ſententiis de peccato.*

Neque obſtant poſteriora verba: *Nam propterea* &c. in quibus ſoli Chriſto videtur concedere, non facere peccatum; etenim alibi ſignificat, ſe ab hujuſmodi generalibus ſententiis de peccato B. Virginem excipere, ut lib. de Natur. & grat. c. 36. ibi: *Exceptâ itaque ſanctâ Virgine Maria, de qua propter honorem Dominii nullam prorsùs, cùm de peccatis agitur, habere volo quæſtionem: unde* (*alias*, inde) *enim ſcimus, quòd* (aliàs, *quid*) *ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere ac parere meruit eum, quem conſtat nullum habuiſſe peccatum?* (aliàs,.) *Hâc ergo Virgine exceptâ, ſi omnes illos Sanctos & Sanctas, cum hìc viverent, congregare poſſemus, & interrogare, utrùm eſſent ſine peccato, quid fuiſſe reſponſuros putamus: utrùm hoc, quod iſte* (Pelagius) *dicit, an quod Ioannes Apoſtolus? Rogo vos, quātâlibet fuerint in hoc corpore excellentiâ ſanctitatis, ſi hoc interrogari potuiſſent, nonne unâ voce clamaſſent:* Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nosipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt? *An illud humiliùs reſponderent fortaſſe, quàm veriùs?* Ita S. Aug.

Aſt, dicet aliquis: S. Chryſoſt. Homil. 45. in Matth. exponens illud: *Ecce mater tua, & fratres tui foris ſtant, quærentes te*, ait: *Patet inani quadam gloria illos commotos fuiſſe.* Et ſuper illud Joan. 2. v. 3, *Vinum non habent*, idem S. Pater dicit de B. Virgine: *Optabat enim, ut jam gratiam hominum conciliaret, & ipſa clarior Filii gratiâ efficeretur, & fortaſſe aliquo humano afficiebatur affectu; quemadmodùm & fratres ejus, cùm dixerunt: Oſtende teipſum mundo.* Et poſt pauca ſubdit: *Siquidem non adhuc debitam de ipſo opinionem habebant.* Et conſimiliter loquuntur alii quidem SS. Patres. Reſpondet Smiſ. ſup. n. 148. vel dicendum illos exceſſiſſe (ut de Chryſoſt. loquitur D. Tho. 3. p. q. 27. a. 4. ad 3.) & à vero aberraſſe in re, nondum tunc ab Eccleſia definitâ, aut adeò clarè per traditionem divulgatâ; vel *Poſſunt exponi* (inquit D. Tho. ſup.) *ut intelligatur, in ea Dominum cohibuiſſe non inordinatum inanis gloriæ motum quantùm ad ipſam, ſed id quod ab aliis poſſet æſtimari.*

Neque hoc eſt contra perfectionem operum B. Virginis, quòd aliqui ex factis ipſius paſſivū & Phariſæorum ſcandalum accepiſſent (cùm etiam in Filio ejus ita plures fuerint ſcandalizati, ut refertur Matth. 13. & 15. Mar. 6. & 14. Joan. 6.) quod, etſi debeat aliquando contemni, aliquando poteſt ex charitate vitari, & ita nil vetat, quin Chriſtus potuerit illa verba: *Quid mihi & tibi eſt mulier?* Joan. 2. v. 4. *Quæ eſt mater mea?* Matt. 12. v. 48. proferre ad cavendum ſcandalum paſſivum. Quamquàm & alias habeant expoſitiones, quas vide apud Smiſ. ſup. & alios Auctores in materia de Incarnatione, ad quam, ut ſup. adhuc inſinuavi, propriè ſpectat hæc controverſia.

Si inferas: ergo B. Virgo non potuit uti Oratione Dominica; quia, ut dictū eſt ſup. ex Concil. Milevit. omnes qui orant illud: *Dimitte nobis debita noſtra*, verè agnoſcere debent, ſe non eſſe ſine peccato. Reſpondeo: Concilium ſolùm loquitur de aliis Sanctis, non autem de B. Virgine, de qua eſt ſpecialis ratio, utpote quæ probabiliùs concepta fuit ſine peccato originali. Potuit ergo B. Virgo pro aliis peccatoribus, vel in generali pro tota Eccleſia proferre illa verba: *Dimitte nobis debita noſtra.* Sicut & alii Sancti, ſi qui præter eam per ſpeciale privilegium fuerint præſervati ab omni peccato etiam veniali.

Rogas: an aliqui tales fuerint, aut ſint? Probabilius eſt quòd non: Scripturæ quippe generales ſunt, à quibus non licet aliquem excipere ſine juſta ratione, vel clara omninò auctoritate, qualem non habemus de ullo alio Sancto. Nam Patres, qui excuſant Joannem Baptiſtam à levi crimine, intelligi poſſunt de levi peccato mortali; etenim nomen, *Crimen*, ordinariè uſurpatur pro mortali: vel etiam de veniali, ex plena deliberatione facto.

Interim,

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

126. *Sententia afferens non erronea in fide. Smiſ.*

Interim ſententia, quæ aſſerit, plures ſanctos ex ſpecialis gratiæ privilegio per totam vitam omnia venialia vitaſſe aut vitare, non eſt (juxta Theod. ſup. n. 150.) erronea in fide; quia non eſt apertè contra Scripturam, aut Eccleſiæ definitionem: quàmvis enim Trident. iſtud privilegium ad ſolam Virginem extendat; non negat tamen ad plures poſſe extendi. Quarè hic locum non habet, ut ibidem benè notat Smiſ. commune dictum: *Exceptio firmat regulam in contrarium:* nam Tridentinum non tribuit Virgini illud privilegium per modum exceptionis, ſeu modo loquendi exceptivo (quòd non caret myſterio) ſed ſimpliciter illam exceptionem, quam præmiſerat: *Niſi ex ſpeciali Dei privilegio,* ad B. Virginem applicat, dicens: *Quemadmodùm de B. Virgine tenet Eccleſia;* non autem dicens, neminem poſſe, excepta B. Virgine, vitare omnia peccata venialia.

127. *Quid ſentiat Gelaſius. Quid S. Aug.*

Hinc Gelaſius Papa contra Pelagianos ait: *Vtrùm aliqui ſteterint ſine venialibus, facilè firmari, vel infirmari non poterit.* Et S. Aug. de Spir. & lit. c. 2. inquit: *Quin etiam, ſi nemo eſt, aut fuit, aut erit, quod magis credo, tali puritate perfectus* (ſcilicet, omni carens peccato, etiam veniali) *& tamen eſſe aut fuiſſe, aut fore defenditur, & putatur, quantùm ego judicare poſſum, non multùm erratur, nec perniciosè, cum quâdam quiſque benevolentiâ fallitur: ſi tamen qui hoc putat, ſeipſum talem eſſe non putet, niſi reverà ac liquidò talem ſe eſſe perſpexerit. Sed illis acerrimè ac vehementiſſimè reſiſtendum eſt, qui putant, ſine adjutorio Dei per ſeipſam vim voluntatis humanæ, vel juſtitiam poſſe perficere, vel ad eam tendendo proficere.*

*Qui aſſeret non multùm errare nec perniciosè.*

128. *dummodo dicat id factum fuiſſe adjuvante divinâ gratiâ.*

Item lib. de Natur. & grat. cap. 42. ſcribit in hæc verba: *Nam neque illud nimis curo, utrùm fuerint hic aliqui, vel ſint, vel eſſe poſſint, qui perfectam, cui nihil addendum eſſet, habuerint, vel habeant, vel habituri ſunt Charitatem Dei.* Et cap. 60. in principio: *Vtrùm in hoc ſæculo fuerit, vel ſit, vel poſſit aliquis, ita juſtè vivens, ut nullum habeat omninò peccatum, poteſt eſſe aliqua quæſtio inter veros piosque Chriſtianos: poſſe tamen eſſe certè poſt hanc vitam, quiſquis ambigit, deſipit. Sed ego nec de iſta vita volo contendere;* modò dicatur id fieri adjuvante gratia Dei, ut ibidem ſignificat in fine dicens: *Nullo tamen modo, niſi adjuvante gratia Salvatoris Chriſti crucifixi & dono Spiritus ejus.* Rurſum Epiſt. 95. oppoſitum vocat quidem errorem, ſed ait, non eſſe diabolicum, id eſt, hæreticum, ibi: *Sed quoquo modò ſe habeat iſta quæſtio; quia etſi non invenitur homo in hac vita ſine peccato, id tamen dicitur poſſe fieri per adjutorium gratiæ, & ſpiritus Dei, quod ut fiat, conandum atque poſcendum eſt, tolerabiliter in id quiſque fallitur, nec diabolica impietas, ſed error humanus eſt.*

*Aug. vocat hanc ſententiam errorē humanum.*

129. *Smiſing ait temerarium eſſe d. privilegium ad plures extendere.*

Tamen (inquit Smiſ. ſup. in fine) quia & Aug. & cum illo omnes Patres, & Scholaſtici probabiliùs putant, illud privilegium immunitatis à veniali non eſſe ad plures extendendum, nec ulla veriſimilis ratio extenſionis reddi poteſt, temerarium eſt extendere; quia illud temerarium vocatur, quod eſt contra ſententiam communem abſque probabili fundamento. Sic ille. Et n. 151. dicit, ſententiam, quæ ait, Joannem Baptiſtam caruiſſe omni peccato veniali, nullam mereri cenſuram, licèt probabilius ſit oppoſitum; quia licèt illa ſententia ratione, vel canonicæ Scripturæ auctoritate deſtituatur; non tamen omninò clarè auctoritate aliquorum Patrum; Hæc Theod. Auctoritates iſtas, vide apud ipſum n. 149. Ut ut ſit de hoc ſufficit ad veritatem noſtræ Concluſ. quòd non fuerit factum ſine ſpeciali privilegio, ut omnes omninò concedunt.

Cæterùm ſi ex jam dictis inferas: ergo non erraret in fide, qui doceret hunc parvulum hodie natum carere peccato originali; quia à generalibus ſententiis de peccato originali Eccleſia permittit excipi Beatam Virginem. Reſpondent Aliqui, neg. Conſequentiam. Diſcrimen eſt (inquit Felix ſup. 14.) nam originale naturaliter contrahitur, veniale liberè. Secundò; quia de originali clariùs Scriptura loquitur, quàm de veniali, & communiter Eccleſia ſentit, non ita de veniali. Sic ille. At verò Smiſ. ſup. n. 150. reſpondet, concedendo non eſſe illud errorē in fide; ſed ſtultam imò temerariam exiſtimationem: errorem autem in fide ſolùm eſſe, exiſtimare, aliquem Adæ filium naturali generationis ordine concipi abſque originali peccato, ſecluſo ſpeciali privilegio. 130.

*An erraret in fide, qui diceret hunc parvulum carere peccato originali.*

*Negat Smiſing.*

Sic ergo in caſu præſenti, error in fide ſolùm eſt, exiſtimare aliquem in tota vita non peccaſſe aut peccare venialiter, ſecluſo ſpeciali privilegio. Et ſecundùm hoc intellige D. Aug. lib. 1. contra duas Epiſt. Pelag. c. 14. in fine: *Multi quippe Baptizati fideles ſunt ſine crimine; ſine peccato autem in hac vita neminem dixerim . . . . . . non quia peccati aliquid remaneat, quod in Baptiſmate non remittatur; ſed quia in nobis, in hujus vitæ infirmitate manentibus, quotidie fieri non quieſcunt, quæ fideliter orantibus, & miſericorditer operantibus quotidie remittantur. Hæc eſt fidei Catholicæ ſanitas, ubique ſeminat Spiritus, non pravitatis hæreticæ vanitas & præſumptio ſpiritûs.* Item lib. de Bono perſever. c. 2. *Ex duobus, quæ contra Pelagium Catholica ubique defendit Eccleſia, alterum eſt, in quantacumque juſtitia, ſine quibuſumque peccatis in hoc corruptibili corpore neminem vivere;* ſcilicet ſecluſio ſpeciali privilegio. 131.

*Erraret in fide qui tribueret immunitatem ab omni peccato ſine ſpeciali privilegio.*

S. Aug.

Quærit aliquis, in quo conſiſtat hoc ſpeciale privilegium. Conſulat Felicem de Grat. c. 5. diffic. 8. n. 15. & dicet ei, conſiſtere tum in auxilio efficaci, quod datur ad vitanda omnia venialia; tum etiam in extinctione fomitis, aut ſaltem in ligamine illius, ne inſurgat cogitatio ad malum: nam ſi inſurgit, vix aut nullo modo poteſt homo eſſe liber à venialibus; tum denique in externa Dei protectione, ut non inſurgat tentatio exterior, uti non inſurrexit in B. Virgine. Hæc ille. Quæ ut meliùs intelligantur, notat, quòd triplex eſt auxilium ſpeciale; primum ſecundùm legem, ut eſt donum perſeverantiæ, quod ſecundùm ordinariam legem neceſſarium eſt, ut homines beatitudinem conſequantur. Secundum ſupra legem, v. g. donum confirmationis; quia eſt quid extraordinarium, & addit 132.

*In quo conſiſtat iſtud ſpeciale privilegium.*

Felix.

*Triplex auxilium ſpeciale.*

aliquid

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

aliquid ſupra donum perſeverantiæ. Tertium eſt auxilium contra legem, v. g. ſpeciale privilegium perſeverationis à venialibus, conceptio Virginis ſine originali, ſanctificatio in utero Joannis Baptiſtæ, & Jeremiæ, & denique ablatio fomitis, & hoc dicitur rigoroſè privilegium; quia datur pauciſſimis, & raró, & eſt (inquit Felix) contra legem ſtatutam.

133. *Tertium oppugnatur à Vega.* Sed non poſſum credere (ait Vega ſup. cap. 25. circà finem) Deum ſtatuiſſe aliquam legem, ſecundùm quam nullus poſſit ad juſtum ſervare legem, ab ipſo latam. Lex enim eſt, ut omnes poſſint ſervare legem, & leges divinæ non ſunt inter ſe contrariæ. Quarè donec S. Synodus, vel Sedes Apoſtolica hæc aliter declaraverit, conſtanter crediderim, privilegium non hic acceptum fuiſſe à Patribus, ut legi opponitur & derogat; ſed dumtaxat ut opponitur communibus & conſuetis Dei gratiis: & tantundem fuiſſe dicere, non poſſe juſtos vitare omnia peccata, niſi ex ſpeciali privilegio, ac ſi apertiùs & citra omne ambiguum dictum fuiſſet, non poſſe juſtos vitare omnia peccata, niſi ex ſpeciali & rarà, atque inſolitâ Dei gratiâ. Et hanc ſententiam illud quoque mihi ſuadet, quòd non video, quid fuerit opus, amplius aliquid, quàm hoc definire, neque propter antiquos, neque propter noſtri temporis hæreticos. Hucuſque Vega. Nec video ego, quod aliud privilegium hìc neceſſarium ſit, quàm gratia efficax ad vitanda omnia venialia; ubi enim illa fuerit, erit infallibiliter evitatio omnium venialium; & ubi non fuerit, erit infallibiliter aliquod veniale.

*Quid ſit ſpeciale privilegium ſecundùm hunc Auctorem.*

134. *Obiiciuntur Scripturæ.* Cæterùm Scripturæ, quæ nobis obiiciuntur, facilè habent ſolutionem. Prima Scriptura eſt Matth. 5. v. 48. *Eſtote ergo vos perfecti, ſicut Pater veſter cœleſtis perfectus eſt.* Secunda, Luc. 1. v. 6. *Erant autem juſti ambo ante Deum, incedentes in in omnibus mandatis & juſtificationibus domini ſine querela.* Tertia, Ephes. 5. v. 27. *Vt exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid hujuſmodi, ſed ut ſit ſancta & immaculata.* Reſpondetur: ſanctos illos dici ſimpliciter perfectos, qui carent peccatis mortalibus & qui ita raró venialiter peccant, ac tantâ juſtitiâ abundant, ut parvi defectus quaſi abſorbeantur ab excellenti illa juſtitia: dicuntur autem ſine querela incedere Zacharias & Eliſabeth, quia carebant peccato illius ſpeciei, ex quo communiter oritur querela.

*Reſp. ad duas priores.*

135. *Exponitur tertia.* Eccleſia dicitur ſine ruga & macula, & ſancti vocantur immaculati, modo utique hominibus viatoribus poſſibili. Nam ille ſtatus Eccleſiæ, in quo verè & perfectè, atque in oculis Dei ſit ſine macula & ruga, licèt in hac vita quæratur, & intendatur, in futura tantùm obtinetur, in quo ſenſu loquitur Paulus, inquit Felix ſup. n. 5. Et verò quis ſanæ mentis dixerit, homines poſſe eſſe perfectos, ſicut Pater cœleſtis perfectus eſt? Igitur & iſtud intelligendum eſt de perfectione hominibus viatoribus poſſibili, qualis non eſt carentia omnis peccati, etiam venialis, ſecluſo ſpeciali privilegio.

*Felix.*

Si inferas: ergo aliqua præcepta Dei ſunt hominibus impoſſibilia. Reſponſio patebit ex Concluſ. ſequenti, quæ talis eſt:

## CONCLUSIO IV.

**Hæreticum eſt dicere, aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus & conantibus ſecundù præſentes, quas habent vires, eſſe impoſſibilia; deeſſe quoque illis gratiam, quâ poſſibilia fiant.**

ITa noviſſimè definivit Innoc. X. Bullâ, quæ incipit: *Vniverſis Chriſti fidelibus*, a. 1653. pridie Kal. Junii anno Pontif. 9. ubi lego ſequentia verba, *Primâ prædictarum Propoſitionum*: Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus & conantibus ſecundùm præſentes, quas habent vires, ſunt impoſſibilia; deeſt quoque illis gratia, quâ poſſibilia fiant: *Temerariam, impiam, blaſphemam, anathemate damnatam, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.* Ergo ſecundùm fidem Catholicam omnia Dei præcepta hominibus juſtis volentibus & conantibus ſecundùm præſentes, quas habent, vires ſunt poſſibilia vel proximè ſeu immediatè, vel ſaltem remotè & mediatè: uti militi non habenti arma, ſed pecunias, quibus ea emat, eſt poſſibile militare.

Planè reponit quiſquam, omnia præcepta obligantia ſub mortali: alioqui cum veniale illud peccatum, ſine quo juxta dicta præcedenti Concluſione juſtus non poteſt vivere ſecluſo ſpeciali privilegio, ſit contra aliquod mandatum Dei, conſequens eſt, quòd juſtus non poſſit omnia omninò mandata Dei obſervare, ſecluſo tali privilegio: ergo aliquod Dei præceptum hominibus juſtis volentibus & conantibus ſecundùm præſentes, quas habent vires, eſt impoſſibile; deeſt quoque illis gratia, quâ poſſibile fiat; nam per ſpeciale privilegium debet fieri poſſibile; deeſt autem illis gratia, quâ illud ſpeciale privilegium obtineant.

Nec ſatisfacit dicere, poſſe quemlibet vitare omnia venialia diviſim, eſtò non conjunctim, & per conſequens, poſſe obſervare omnia præcepta diviſim, tametſi non conjunctim; Quippe, ſi non poſſit conjunctim omnia obſervare, jam verum eſt dicere, aliquod eſſe non obſervabile; ideò ſiquidem non poteſt omnia conjunctim, quia aliquod non poteſt. Atque adeò hæc diſtinctio, quâ Aliqui utuntur, ut oſtendant, quomodò homo non peccet in eo, quod vitare non poteſt, juxta illud D. Aug. lib. de Duabus Animabus c. 12. *Peccati reum teneri quemquam, quia non fecit, quod facere non potuit, ſummæ iniquitatis eſt & inſaniæ*; diſtinctio, inquam, inter ſingula peccata venialia, & omnia, parvi videtur eſſe momenti. Si enim poteſt ſingula vitare, cur non etiam omnia? Nam omnia nihil ſunt præter ſingula. Neque omnia ſimul occurrunt vitanda; ſed

ſed nunc unum, nunc aliud; ac proinde, ſi non poſſit omnia, videtur, quòd nec poſſit ſingula.

139. *Oppugnat eam Vega. Primò.* Hæc eſt opinatio Andreæ Vegæ de Juſtific. lib. 14. c. 21. ubi ſic ait: Evaſiuncula iſta, tametſi communis, & ſuperficietenus apparens, nullius tamen eſt, ſi introrſum inſpiciamus, momenti. Nullo quippe modo concedendum, nos eſſe ad impoſſibile conſtrictos, ſive uno aliquo præcepto ſive pluribus. Et maximè hoc tempore cavendum eſſet, hoc aſſerere, ne conveniamus cum noſtræ tempeſtatis hæreticis, qui ajunt, poſſe quidem à nobis legem Dei expleri, ſed ex parte & non ex toto. *Secundò.* Ad hæc: non ſolùm oportet concedere, quodcumque ſingulare Dei præceptum nobis eſſe poſſibile; ſed idipſum etiam fatendum eſt de omnibus præceptis Dei collectivè & in ſimul ſumptis. Tota enim lex Dei eſt poſſibilis, &, teſtante Pſalmiſta (Pſal. 18. v. 10.) *Iuſtificata in ſemetipſa.*

140. *Tertiò.* Neque oportet tantùm juſtitiam Dei & æquitatem in quovis præcepto oſtendere; ſed etiam in univerſis. Nam Chriſtus certè ad univerſam legem ſermonem ſuum retulit, cum dixit Matth. 11. v. 30. *Iugum meum ſuave eſt, & onus meum leve.* Et de tota quidem Lege Moyſes Dei nomine aſſeruit Deut. 30. Mandatum, quod ipſe pręcipiebat, non ſupra vires ſui populi eſſe. Et ipſe David non de uno aliquo mandato, ſed de omnibus dixit Pſal. 118. v. 96. *Latum mandatum tuum nimis.* Ac gravia nimium eſſent Dei Mandata contra auctoritatem Joan. (Epiſt. 1. c. 3. v. 3.) ſi ſingulum quodque portabile eſſet, *Quartò.* ſed non omnia. Equidem non minori tyrannidi obnoxius eſſet Princeps, qui legem aliquam ferret, quæ tota obſervari non poſſet, quàm ſi præceptum aliquod peculiare ſtatueret, quod eſſet ſuis ſubditis impoſſibile. Eadem enim injuſtitia, quæ eſſet in ſtatuendo illo præcepto, eſſet, vel fortè major in ſancienda tota illa lege. Et ſi contra juſtitiam eſſet, exigere tributum aliquod, quod reddi â ſubditis non poſſet, eſſet & contra illam, exigere aliqua, quæ omnia præſtari nequeant, licèt poſſint præſtari ſingula.

141. *Quintò.* Suntque iſta ipſo lumine naturali docente nota, non ſolùm de præceptis, quæ ſtatuuntur à Principibus ſub gravibus pœnis; ſed & de præceptis ſtatutis ſub leviſſimis. Palamque injuſtus eſſet Dominus, qui à ſervo exigeret, ut ferret à monte in domum unum lignum qualibet hora diei, ſi non poteſt hoc facere omnibus horis diurnis, licet id poſſit quâlibet horâ: nec ad injuſtitiam intereſſet, ſive hoc exigeret unico præcepto, ſive pluribus. Oportet ſiquidem præcepta ita eſſe ſingulatim & complexim juſta, ut, ſi unico ſtatuerentur mandato, eſſent nihilo ſeciùs portabilia & factibilia. *Concluſio Vegæ.* Cùm igitur Deus Optimus Maximus non ſolùm juſtus ſit, ſed etiam ſuavis & dulcis univerſis, longè credendum eſt ab ejus abeſſe voluntate & miſericordia, ut homini imbecilli & infirmo legem ejuſmodi aut tulerit, aut latam ab eo cuſtodiri velit, quam in totum ſervare nequeat, quin incidat volens nolens in aliquam vel leviſſimam culpam contra ipſam. Huculque Andreas. Qui plura argumenta ibi congerit contra dictam diſtinctionem: omnia hic deſcribere, nimis fuſum eſſet, & fortè inutile, cùm Theodorus noſter putet eſſe quæſtionem de nomine.

142. *Smiſing. putat eſſe quæſtionem de nomine.* Quia (inquit ille ſup. n. 145.) qui dicunt, intelligi de omnibus collectim, non volunt collectionem omnium venialium non poſſe evitari; tum, quia hoc fruſtra diceretur, cùm nunquam tota collectio vitanda ſe offerat ſimul, nec de hoc potuerit eſſe quæſtio cum Pelagianis: tum, quia vitando ſingula, vitatur tandem tota collectio; admittunt autem iſti DD. ſingula poſſe vitari; non ergo negant, poſſe collectionē vitari eo modo, quo poſſunt ſingula vitari. *Quomodò illa diſtinctio ſit intelligenda.* Volunt ergo, quòd in tota collectione tandem aliquod occurret veniale, quod licèt ſeorſim ac ſecundùm ſe ſpectatum vitari poſſit (quod vocant potentiam vitandi ſingula) tamen ſi ſpectetur, ut eſt cum aliis conjunctum, non poterit moraliter evitari; quia, dum uni vitando quiſpiam intendit, fortè aliud vitandum occurrit, nec eſt homini aliquando moraliter poſſibile, multis ita reſiſtere, quin quaſi fatigata voluntas ab aliquo vinci ſe ſinat, & ratio negligentiùs ſingula conſideret, præſertim circà hæc minuta & venialia peccata, quæ penè in ſingulis humanis negotiis ſubrepunt. Sic ille.

143. *Smiſing ait, nec omnia venialia collectim, nec omnia diviſim poſſe evitari.* Quia tamen (proſequitur) ille modus diſtinguendi inter omnia & ſingula, accipiendo omnia collectivè, ex vi verborum ſonat, quaſi collectionis evitatio aliquid habeat difficultatis, quod non inveniatur in aliqua parte collectionis, quod verum non eſt; hinc propriùs dicitur, nec omnia collectim, nec omnia diviſim poſſe vitari venialia peccata.

144. *Colligit ex doctrina Scoti.* Sumo (inquit ille) ex doctrina Scoti 2. diſt. 28. q. un. verſ. *Contra iſtas duas vias arguitur*, n. 5. ubi illam diſtinctionem potentiæ vitandi ſingula, & non omnia refutat, dicens: *Si in hoc tempore poteſt* (quis) *cavere ab hoc peccato mortali, & illo, & dum cavet hoc, cavet omne: & ſimiliter de tempore conſequente, & ſic de ſemper: ergo ſi poteſt ſemper cavere hoc & illud, ſimul poteſt cavere omnia. Aſſumptum, quòd ſi poteſt cavere hoc peccatum mortale pro tunc, quod poteſt etiam cavere illud aliud, & ita omne pro tunc patet: quia voluntas non poteſt habere ſimul diſtinctos conſenſus, qui requiruntur ad peccatum mortale, & ad reſiſtendum peccato mortali: & ita dum diſtinctè habet actum reſiſtendi huic peccato mortali, nullum aliud velle habet tunc, per quod aliud velle pro tunc peccet mortaliter; maximè cùm præſervando ſe ab uno peccato mortali ſit fortior ad reſiſtendum aliis: ergo ſi nunc poteſt hoc peccatum cavere, de quo tentatur, multò magìs illud poteſt aliàs cavere, & ſic de aliis.* Hucuſque Doct. Subtilis. Qui poteſt capere capiat, & applicet ad evitationem omnis peccati venialis, de qua hìc quæritur.

145. *Dicta impotentia non eſt phyſica, ſed tantùm moralis juxta Smiſing.* Smiſing. ſup. n. 145. conſequenter docet, impotentiam vitandi omnia venialia non eſſe impotentiam phyſicam, ſed moralem, atque eam quidem tantam, ut nunquam contingat, abſque ſpeciali privilegio, omnia per totam vitam evitari, ut proinde hæc potentia phyſica non reducatur in actum, niſi per ſpeciale privilegium. Hoc quippe, & non amplius convin-

cit Tridentinum, ac teſtimonia Scripturæ, atque SS. Patrum, quæ nequeunt intelligi de impoſſibilitate phyſica, utpote incompoſſibili cum peccato; ſic namque peccatum, quod neceſſariò committeretur, eſſet peccatum, & non eſſet; eſſet ut ſupponitur, & non eſſet, quia vitari non poſſet etiam phyſicè. Itaque, juxta hanc doctrinam, definitio Innocentii in principio Concl. adducta intelligēda venit de poſſibilitate phyſica: porro definitio Tridentini præcedēti Concluſ. allegata de impoſſibilitate morali.

*Concilian-tur defini-tiones In-noc. & Trid.*

146. *Objectio.* At enim, dicet aliquis: non ſolùm non peccat quis in eo, quod potentiâ phyſicâ evitare non poteſt; ſed nec in eo, quod potentia morali nequit evitare: ergo, ſi eſt impoſſibile moraliter evitare omnia & ſingula peccata venialia, jam aliquod peccatum veniale erit peccatum, ut ſupponitur, & non erit. Reſpondet Smiſ. ſup. n. 154. (ubi approbat illam diſtinctionem impotentiæ phyſicæ & moralis) reſpondet, inquam, Deum non præcipere aliquid tanquam neceſſarium ad ſalutem, quod ſit moraliter impoſſibile: at verò in non neceſſariis ad ſalutem, ut eſt evitare peccata venialia, benè aliquid præcipere, quòd ſit moraliter impoſſibile.

*Solutio Smiſing.*

147. Neque hinc fit (inquit ille) mandata ejus gravia eſſe, quoniam illa ſunt potiſſimùm de neceſſariis ad ſalutem, quale eſt vitare mortalia peccata, ob quod per antonomaſiam dixerunt D. Tho. & Scotus, peccata venialia non eſſe contra legem, ſed contra conſiliū, nec eſſe perfectè peccatum, ut dicit D. Tho. quia lex potiſſimùm eſt de neceſſariis ad finem, & vitare venialia non eſt neceſſarium, ſimpliciter loquendo, ad finem hominis obtinendum, ſed ſecundùm quid, ſeu ad meliùs, & abſque dilatione obtinendum. Et ſimiliter omninò perfectum peccatum eſt, quod ſimpliciter deordinat hominem ab ultimo fine, quod non facit veniale peccatum. Sic ergo, cùm ait Joannes, mandata Dei gravia non eſſe, loquitur de mandatis, ut verſantur circà neceſſaria ad ſalutem, quæ homo non ita difficulter poteſt implere cum gratiæ auxilio, quod immediatè vel mediatè præſtò eſt, ut, illum Joan. locum tractans, docet egregiè Aug. lib. de Natur. & grat. c. 69. Ita Theod.

Scotus. D. Tho. *Peccatum veniale non eſt perfectè peccatum.*

*Quæ mandata Dei non ſint gravia.*

148. *Deus non poteſt impoſſibilia præcipere, ex D. Aug.* Hæc ſunt verba D. Aug. in principio cap. citati. *Valdè autem bona ſunt præcepta, ſi legitimè his utamur. Eo quippe ipſo, quò firmiſſimè creditur, Deum juſtum & bonum impoſſibilia non potuiſſe præcipere, hinc admonemur, & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus. Omnia quippe fiunt facilia Charitati, cui uni Chriſti ſarcina levis eſt, aut ea una eſt ſarcina ipſa, quæ levis eſt; ſecundùm hoc dictum eſt:* Et præcepta ejus gravia non ſunt (1. Joan. 5. v. 3) *ut cui gravia ſunt, conſideret, non potuiſſe divinitùs dici,* gravia non ſunt, *niſi quia poteſt eſſe cordis affectus, cui* gravia non ſunt; *& petat, quo deſtituitur, ut impleat, quod jubetur.* Lib. de grat. & lib. arb. c. 16. *Magnum aliquid Pelagiani ſe ſcire putant, quando dicunt:* Non juberet Deus, quod ſciret non poſſe ab homine fieri. *Quis hoc neſciat? ſed ideò jubet aliqua, quæ non poſſumus* (proximè) *ut noverimus, quid ab illo petere debeamus.* Supponitur hìc nos habere facilem potentiam petendi in difficilibus, ſicut facilem potentiam agendi in facilibus. Lib. 2. de pecc. mer. c. 3. *Acutè ſibi* (Pelagiani) *videntur dicere, quaſi noſtrum hoc ullus ignoret.* Quòd ſi nolumus, non peccamus; nec præciperet Deus homini, quòd eſſet humanæ impoſſibile voluntati. *Sed hoc non vident, quòd ad nonnulla ſuperanda vel quæ malè cupiuntur, vel quæ malè metuuntur, magnis aliquando & totis viribus opus eſt voluntatis: quas non perfectè in omnibus adhibituros prævidit, qui per Prophetam veridicè dici voluit* (Pſ. 142) non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens. Et in pſ. 56. *Neque imperaret hoc Deus, ut faceremus, ſi impoſſibile eſſe judicaret, ut hoc ab homine fieret. Si conſiderans infirmitatem tuam deficis ſub præcepto, confortare in exemplo: ſed etiam ad te exemplum multum eſt; adeſt ille, qui præbuit exemplum, ut præbeat & auxilium.* Loquitur de præcepto, quo jubemur invicem diligere. Hinc lib. 2. de Peccat. merit. cap. 6. ait: *Dubitare non poſſū, nec Deum aliquid impoſſibile homini præcepiſſe, nec Deo ad opitulandū & adjuvandū, quò fiat, quod jubet, impoſſibile aliquid eſſe. Ac per hoc poteſt homo, ſi velit, eſſe ſine peccato adjutus à Deo.*

Et rursùm Tr. 53. in Joan. *Audiamus* (inquit) *Dominum & præcipientem, & opitulantem, & jubentem quid facere debeamus, & adjuvantem ut implere poſſimus.* Et lib. de fide contra Manich. c. 9. & 10. *Adversùs hæc ſolita cæcitate Manichæi latrant, &, cum convincuntur naturam non eſſe malam, ſed in poteſtate eſſe hominis, facere benè & malè, dicunt, non eſſe animæ liberam voluntatem, & non vident cæcitatem ſuam. Quis enim non clamet ſtultum eſſe, præcepta dare ei, cui liberū non eſt, quod præcipitur facere: & iniquum eſſe, eum damnare, cui non fuit poteſtas juſſa implere?* Ergo loquitur S. Aug. de iis præceptis, quorum tranſgreſſio eſt mortalis; nemo enim damnatur propter peccatum veniale. Et de gravioribus peccatis intellige, quod ait idem Sanctus Enar. in Pſ. 40. ad illa verba: *Super lectum doloris ejus. Lectus doloris infirmitas eſt carnis. Ne dicatis, non poſſum tenere, & portare & frenare carnem meam: adjuvaris ut poſſis.*

Accedat, quod habet lib. de Grat. & libe. arbitr. c. 18. *Cur dictum eſt* (1. Joan. 4. v. 7.) Diligamus invicem, quia dilectio ex Deo eſt, *niſi quia præcepto admonitum eſt liberum arbitrium, ut quæreret Dei donum? Quod quidem ſine ſuo fructu prorsùs admoneretur, niſi priùs acciperet aliquid dilectionis, ut addi ſibi quæreret, unde quod jubebatur impleret.* Ergo aliquod auxilium gratiæ ſolùm mediatè præſtò eſt, ut ſup. dicebat Smiſ. ad obſervanda præcepta etiam neceſſaria ad ſalutem; nempe mediante gratia ad orandum: idque ſufficit ad veritatem reſponſionis D. Aug. ad Ratiocinationem 6. lib. de Perfectione juſtitiæ c. 3. ubi hæc lego: *Iterum ait* (Cœleſtius) *quærendum eſt, utrùm præceptum ſit homini* (in ſtatu naturæ lapſæ) *ſine peccato eſſe. Aut enim non poteſt, & præceptum non eſt: aut, quia præceptum eſt, poteſt. Nam cur præciperetur, quod fieri omninò non poſſet?*

*Reſpondetur conſultiſſimè homini præcipi, ut rectis paſſibus ambulet* (non quòd culpâ ſuâ diſtortus ſit, ſed) *ut, cum ſe non poſſe perſpexerit, medicinā requirat, quæ interioris hominis ad ſanandam peccati* (utique gravioris ſeu mortalis) *claudicationem,*

*gratia*

*gratia Dei eſt Per IeſumChriſtum Dominum noſtrum.* Quòd autẽ loquatur de peccato graviori, colligo ex reſponſ. ad 5. Ratiocinationẽ: *Quærendum eſt, utrùm debeat homo ſine peccato eſſe. Procul dubio debet. Si debet, poteſt. Si non poteſt, ergo nec debet. Et ſi non debet homo eſſe ſine peccato; debet ergo cum peccato eſſe, & jam peccatum non erit, ſi illud deberi conſtiterit. Aut ſi hoc etiam dici abſurdum eſt, confiteri neceſſe eſt, debere hominem ſine peccato eſſe, & conſtat eum non aliud debere, quàm poteſt.*

152. *Cõfirmatur à ſimil.* *Reſpõdetur eâdẽ ſimilitudine, quâ ſuperiùs jam reſpondimus. Cũ enim videmus claudũ, qui ſanari poteſt, rectè utique dicimus, debet homo iſte eſſe ſine claudicatione: & ſi debet, poteſt; nec tamẽ, cum vult, cõtinuò poteſt; ſed cũ fuerit adhibita curatione ſanatus, & medicina adjuverit voluntatem. Hoc fit in interiore homine, quod ad peccatum attinet, tanquã ad ejus claudicationẽ, per ejus gratiã, qui venit non vocare juſtos, ſed peccatores; quia non eſt opus ſanis medicus, ſed malè habentibus.*

153. *Propter peccatum veniale non deſinit aliquis eſſe juſtus.* Et quis non videt, per peccatores ibi intelligi obnoxios peccato mortali? Etenim clamat Trid. ſeſſ. 6. cap. 11. *Licèt in hac mortali vita quantumvis ſancti & juſti in levia ſaltem & quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur, peccata quandoque cadant, non propterea deſinunt eſſe juſti: nam juſtorum illa vox eſt & humilis & verax: Dimitte nobis debita noſtra.* Igitur peccatum, quod ibi opponitur juſtitiæ, non rectè intelligitur, niſi peccatum mortale; cùm propter peccatum veniale non deſinat quis eſſe juſtus. Atque hæc ſatis pro nunc de mente S. Aug. in favorẽ ſententiæ Smiſ.

154. *Moralis impoſſibilitas vitandi omnia venialia non facit mandata Dei gravia. Smiſing.* Qui ſup. proſequitur, dicens: Etſi verò mandata Dei ita principaliter verſentur circà neceſſaria ad ſalutem, ut etiam conſequenter vetent ea, quæ ejuſdem ſalutis conſecutionem aliquo modo per ſe impediunt, nempe venialia peccata; nec tamen moraliter ſit poſſibile (abſque ſpeciali privilegio) ita perfectè mandata Dei implere, quin ſubinde venialiter peccetur contra illa; ob hoc non debent gravia cenſeri divina mandata; quia onus, quod homini ex hac parte imponitur, leve eſt; cùm venialia peccata ſalutem homini non auferant, nec Dei amicitiam diſſolvant, & varia habeantur media, eaque facillima ad abſtergendam illam qualemcumque venialiũ peccatorum labem, quam ſubinde contrahunt filii Dei: ac denique aliunde utile ſit, quòd Deus permittat in filiis ſuis hanc imperfectionem, quæ ſit illis continua occaſio humilitatis, & conatûs proficiendi ſemper ad majorem vitæ perfectionem, dum etiã, quantùm ſuo modo in ipſis eſt, pro minorum defectuum correctione laborant. Hactenus Theod.

155. *Objectio ſolvitur.* Cui ſi præterea objicias: illa moralis impoſſibilitas vitandi omnia venialia eſt quædam moralis neceſſitas ad peccandum aliquando venialiter. Reſpondet: hanc neceſſitatem ſtare cum phyſicâ libertate; quia arbitrium, ſuppoſitâ inconſtantiâ, & infirmitate ſuâ, & ſuppoſito, quòd illi inconſtantiæ & infirmitati non ſubveniatur per privilegium ſpeciale, ex propriâ & liberâ determinatione ſuâ non diu abſtinet ab omni peccato veniali.

Undè licèt iſta impotentia non peccandi aliquando venialiter ut conditionem ſine qua non ſupponat partim denegationem dicti privilegii ſpecialis, partim inconſtantiam, & infirmitatem connaturalem arbitrii creati, quorum neutrum eſt in poteſtate arbitrii creati; hoc tamen non obſtat libertati, & abſolutæ poteſtati peccandi, & non peccandi venialiter; quemadmodùm in damnatis non obſtat libertati & abſolutæ poteſtati peccandi & non peccandi mortaliter, v. g. peccato odii Dei, quòd, ſuppoſitâ creati arbitrii defectibilitate in malum, & ſubtractione gratiæ divinæ, ſubvenientis tali defectibilitati, non poſſint moraliter ab omni affectu peccati mortalis diu abſtinere. 156. *Dicta moralis impoſſibilitas ſtat cum libertate.* *Probatur à ſimili in hominibus dãnatis*

Et idem eſſet de homine, ſi fuiſſet creatus, relictuſque in puris naturalibus, adeòque deſtitutus auxiliis gratiæ Dei; fuiſſet enim tunc obligatus ad ſervandam legem naturæ, & contra illam peccare potuiſſet: imò non diu moraliter potuiſſet ab omni peccato contra eam legẽ abſtinere, ſuppoſita connaturali defectibilitate arbitrii creati, & auxiliorum gratiæ ſubtractione. 157. *Aliud ſimile.*

Hucuſque Smiſ. Ego dico, Innoc. X. in ſua definitione reſpexiſſe ad doctrinam Conc. Trid. ſeſſ. 6. can. 18. *Si quis dixerit, Dei præcepta homini, etiam juſtificato, & ſub gratia conſtituto, eſſe ad obſervandum impoſſibilia; anathema ſit.* Qui canon deſumptus eſt ex cap. 11. ejuſ. ſeſſ. ubi ſic lego: *Nemo . . . . . temerariâ illâ, & à Patribus ſub anathemate prohibitâ voce uti* (debet) *Dei præcepta homini juſtificato ad obſervandum eſſe impoſſibilia.* *Doctrina Trid. de poſſibilitate mandatorũ.*

Probatio ſubjungitur: *Nam Deus impoſſibilia non jubet; ſed jubendo monet & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat ut poſſis. Cujus mandata gravia non ſunt, cujus jugum ſuave eſt, & onus leve.* Forent autem gravia, ſi ad impoſſibile, etiam tantùm moraliter, obligarent ſub mortali, ſive ſub pœna æternæ damnationis, & diſſolutionis amicitiæ divinæ per amiſſionem gratiæ ſanctificantis. Unde ſequitur in Tridentino: *Qui enim ſunt filii Dei, Chriſtum diligunt: qui autem diligunt eum, ut ipſemet teſtatur, ſervant ſermones ejus* (id eſt, præcepta graviter obligantia) *quod utique cum divino auxilio* (ordinario) *præſtare poſſunt* (vel immediatè, vel mediatè.) *Licèt enim in hac mortali vita quantumvis ſancti & juſti in levia ſaltem & quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur peccata quandoque cadant, non propterea deſinunt eſſe juſti.* Ergo, ut ſuprà adhuc expendi, loquitur Concil. de illis præceptis, quæ transgrediendo homo deſinit eſſe juſtus. 158. *Probatur Deum non præcipere impoſſibilia ſub gravi ſaltem peccato.*

Noto etiam: tempore Innoc. X. non fuiſſe controverſiam de peccatis venialibus, utrùm homo omnia & ſingula poſſet evitare; ſed utrû Deus impoſſibilia quibuſdam mandata imponat, ita ut non obtemperantes & verè peccent, & propterea ſempiternis à Deo pœnis addicantur, quod quidam affirmabant, quos ibi damnat Innocentius; non autem eos, qui dicebant, hominem non poſſe, ſine ſpeciali privilegio, per totam vitam ſuam evitare omnia & ſingula venialia. Non poſſe, inquam, evitare, id eſt, non evitaturum, ſed aliquando venialiter peccaturũ. 159. *Tempore Innoc non fuit controverſia de peccatis venialibus.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Et hoc colligitur ex Trident. jam allegato ibi: *Quandoque cadant.*

160. *Quarè Trident. dixerit neminẽ potuiſſe vitare omnia venialia, ex Vega.*

Non tamen (inquit Vega ſup. c. 25.) contenti fuêre Patres aſſerere, nullum juſtorum omnia vitaſſe peccata, niſi ex ſpeciali privilegio; ſed dixerunt etiam, neminem hoc potuiſſe. Voluerunt namque, vel voluit potiùs Spiritus ſanctus per eos nos conſtringere ad hanc loquendi formulã, quæ gratiæ Dei magìs atteſtatur, & aptior eſt noſtræ infirmitati & imbecillitati, quâque patet frequentiùs uſos eſſe Doctores ſanctos, nempe ut abſolutè & ſimpliciter dicamus, non poſſe etiam juſtos vitare omnia peccata, niſi ex ſpeciali Dei privilegio. Cùm enim liberis verbis loquantur Philoſophi, nos decet eloquia noſtra ſemper aptare, & quantùm maximè fieri poterit conformare linguæ ſacræ Scripturæ & communi mori & conſuetudini Doctorum. Et apud ipſos & in Scriptura ſcimus, ea paſſim dici impoſſibilia, quæ moraliter talia ſunt; quia difficillima præſtitu, neque ullus unquam ea præſtitit, aut præſtabit, quantamcumque curam & diligentiam ei rei adhibeat. Hactenus noſter Andreas.

*Decet eloquia noſtra aptare Sacræ Script.*

161. *Simul ſtant hominem poſſe evitare peccatũ, & tamen non evitare.*

Cæterùm optimè ſtant ſimul, hominem poſſe evitare peccatum, ac poſſe obſervare præceptum, & tamen de facto non evitare vel obſervare, ut graphicè expreſſit S. Aug. lib. 2. de Peccat. merit. c. 6. quod ſic incipit (in editione Lovanienſi, quâ ſæpiùs utor) *Nam qui dicunt eſſe poſſe in hac vita hominem ſine peccato, non eſt eis continuò incautâ temeritate obſiſtendum. Si enim eſſe poſſe negaverimus, & hominis libero arbitrio, qui hoc volendo appetit, & Dei virtuti vel miſericordiæ, qui hoc adjuvando efficit, derogabimus. Sed alia quæſtio eſt: utrùm eſſe poſſit: alia utrùm ſit: alia ſi non eſt, cùm poſſit eſſe cur non ſit: alia, utrùm, qui omninò nunquam ullum peccatum habuerit, non ſolùm quiſquam ſit, verùm etiam poterit aliquando eſſe, vel poſſit.* Ubi S. Aug. manifeſtè diſtinguit potentiam ad actum ab ipſo actu.

162. *Probatur ex D. Aug.*

Unde ſtatim ſubjungit: *In hac quadripartita propoſitione quæſtionum; ſi à me quæratur, utrùm homo ſine peccato poſſit eſſe in hac vita, confitebor poſſe per Dei gratiam, & liberum ejus arbitrium.* Ad ſecundam autem quæſtionem cap. 7. in principio ſic ait: *Si autem, quod ſecundo loco poſueram, quæratur, utrùm ſit, eſſe non credo.* Ergo apud D. Aug. verè dicitur, hominem poſſe vitare omnia peccata, & tamen actu non vitare. Hinc ibidem c. 15, ad objectionem Pelagianam, putà: Dominus ait (Matth. 5. v. 5.) *Eſtote perfecti, ſicut Pater veſter cœleſtis perfectus eſt*: quod non præciperet, ſi ſciret fieri non poſſe, quod præcipit. Reſpondet S. Doctor: *Non nunc quæritur, utrùm fieri poſſit: ſi iſtam perfectionem ad hoc accipiunt, ut ſine ullo ſit quiſque peccato, cum hanc agit vitam; jam enim ſupra reſpondimus, poſſe fieri: ſed utrùm aliquis faciat, hoc nunc quærimus.*

163. *Perfectio, de qua Chriſtus loquitur Matth.*

Et in ſequentibus clarè oſtendit, perfectionem, de qua Chriſtus ibi loquitur, compoſſibilem eſſe cum peccato veniali, ſic concludens: *Cum ergo legitur in Scripturis cujuſque perfectio, quâ in re dicatur, non negligenter intuendum eſt: quoniam non ideò quiſque prorſùs ſine peccato eſſe intelligitur, quia in aliqua re dicitur eſſe perfectus: quàmquam & in hoc poſſit ita dici, ut, non quia jam non eſt quò proficiat; ſed quia ex maxima parte profecit, hoc nomine dignus habeatur: ſicut in doctrina legis dici poteſt quiſquam perfectus, etiamſi eum adhuc aliquid latet; ſicut perfectos dicebat Apoſtolus* (Philip. 3.) *quibus tamen ait* (v. 15. & 16.) *Et ſi quid aliter ſapitis, id quoque vobis Deus revelabit; verumtamen in quod pervenimus, in eo ambulemus.*

167. *Deus præcipit, ut nullum habeamus peccatum, tametſi ſciat neminẽ hoc impleturum.*

Cùm verò Marcellinus, ad quem Aug. ſcripſit hos libros, ipſi objiceret, abſurdum eſſe dicere, aliquid poſſe fieri, quod tamen nunquam factum eſt, vel fiet: Reſpondet S. Doctor lib. de Spir. & lit. c. 1. *Abſurdum tibi videtur dici, aliquid fieri poſſe, cujus deſit exemplum; cùm, ſicut credo, non dubites, nunquam eſſe factum, ut per foramen acûs camelus tranſierit, & tamen ille* (Chriſtus Matth. 19. v. 24.) *hoc quoque dixit, Deo eſſe poſſibile. Legas etiam* (Matth. 16. v. 53.) *duodecim millia legiones Angelorum pro Chriſto, ne pateretur, pugnare potuiſſe, nec tamen factum. Legas fieri potuiſſe, ut ſemel Gentes exterminarentur à terra, quæ dabatur filiis Iſraël; Deum autem id paulatim fieri voluiſſe: & alia ſexcenta poſſunt occurrere, quæ fieri vel potuiſſe, vel poſſe fateamur; & eorum tamen exempla, quòd facta ſint, proferre nequeamus. Unde non ideò negare debemus, fieri poſſe, ut homo ſine peccato ſit, quia nullus eſt hominum præter illum, qui non tantùm homo, ſed etiam naturâ Deus eſt, in quo id perfectum eſſe, demonſtrare poſſimus.* Sicut ergo illa, jam enumerata, erant Deo potentiâ proximâ poſſibilia, & tamen facta non ſunt, quid ni ſimili ratione queat proximâ potentiâ homini per Dei gratiam eſſe poſſibile ſervare omnia mandata, quàmvis de facto ea omnia non obſervet?

168. *Cur Deus hoc præcipiat. S. Aug.*

*Nullum eſt præceptum, quod non poſſit homo juſtus obſervare.*

Rogas, quarè non obſervet ſi poſſit? Attende quid dicat S. Aug. lib. 2. de Peccat. merit. c. 17. in principio (quod etiam ſup. Concluſ. circà finem ponderavimus) *Iam ergo, quod tertio loco poſui, videamus. Cùm voluntate humanâ gratiâ adjuvante divinâ, ſine peccato in hac vita poſſit homo eſſe, cur non ſit, poſſem facillimè ac veraciſſimè reſpondere, quia homines nolunt. Sed ſi ex me quæritur, quarè nolint, imus in longum. Verumtamen etiam hoc ſine præjudicio diligentioris inquiſitionis breviter dicam. Nolunt homines facere quod juſtum eſt, ſive quia latet, an juſtum ſit, ſive quia non delectat . . . .*

169. *Objectio ex S. Aug.*

*Prima differentia inter gratiam primi hominis, & hominis lapſi, S. Aug.*

*Ignorantia itaque & infirmitas vitia ſunt, quæ impediunt voluntatem, ne moveatur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abſtinendum* (non ergo poſſibilitatem operis boni auferunt, ſed ipſum opus bonum) *Ut autem innoteſcat, quod latebat, & ſuave fiat, quod non delectabat, gratia Dei eſt, quæ hominum adjuvat voluntates: quâ ut non adjuventur, in ipſis itidem cauſa eſt, non in Deo, ſive damnandi prædeſtinati ſint propter iniquitatem ſuperbiæ: ſive contra ipſam ſuam ſuperbiam judicandi & erudiendi, ſi filii ſint miſericordiæ.* Si inferas: ergo ſecundùm D. Aug. non omnibus adeſt gratia illa adjuvans, quâ poſſint non peccare,

ſive,

ſive, quâ poſſint implere omnia præcepta. Reſpondeo: Auguſtinum ſolùm velle, aliquibus deeſſe gratiam efficacem, quâ non ſolùm datur poſſibilitas operis, ſed etiam ipſum opus. Colligo id ex eod. lib. c. 16. ubi aſſerit, Deum ita præcipere nobis adimpletionem omnium mandatorum, tametſi ſciat, quòd non omnia implebimus; ſicut Adamo dedit præceptum, quod ſciebat illum tranſgreſſurum.

167. *Deus præcipit, ut nullū habeamus peccatum, tametſi ſciat neminē hoc impleturum.*

Accipe genuina verba D. Aug. *Neque negandum eſt hoc Deum jubere, ita nos in facienda juſtitia eſſe debere perfectos, ut nullum habeamus omninò peccatum; nam neque peccatum erit, ſi quid erat, ſi non divinitus jubeatur, ut non ſit.* Cur ergo jubet, quod ſcit nullum hominem eſſe facturum? Ita interrogant Pelagiani. Reſpondet S. Doctor: *Hoc modo etiam dici poteſt, cur primis illis hominibus juſſerit, qui duo ſoli erant, quod ſciebat eos non eſſe facturos? Neque enim dicendum ideò juſſiſſe, ut noſtrum aliquis id faceret, ſi illi non facerent: hoc enim, ne de illa ſcilicet arbore cibum ſumerent, non niſi illis ſolis Deus juſſit, quia ſicut ſciebat, quid juſtitiæ facturi non erant; ita etiam ſciebat, quid juſtitiæ de illis ipſe erat facturus.*

168. *Cur Deus hæc præcipit. S. Aug.*

*Eo modo ergo jubet omnibus hominibus, ut non faciant ullum peccatum, quàmvis ſit præſcius neminem hoc impleturum, ut quicumque impiè ac damnabiliter ejus præcepta contempſerint, ipſe faciat in eorum damnatione, quod juſtum eſt: quicumque autem in ejus præceptis obedienter & piè proficientes, nec tamen omnia quæ præcepit implentes, ſi ut ſibi dimitti volunt, ſic aliis peccata dimiſerint, ipſe faciat in eorum mundatione, quod bonum eſt.* Hucuſque S. Aug. Subſumo ego: atqui Adam habuit gratiam ſufficientem adimplendi præceptum divinum, abſtinendi ſcilicet à comeſtione cibi vetiti; ergo etiam homines in ſtatu naturæ lapſæ habent gratiam ſufficientem ſervandi omnia mandata Dei: igitur nullum eſt præceptum, quod non ſit poſſibile obſervatu homini juſto volenti & conanti ſecundùm præſentes vires, quas habet, vel ſaltem non deeſt ipſi gratia, quâ fiat poſſibile, id eſt, gratia orandi, ſecundùm illud. Trid. ſup. *Iubendo monet & facere, quod poſſis, & petere quod non poßis, & adjuvat ut poßis.*

*Nullum eſt præceptum, quod non poſſit homo juſtus obſervare.*

169. *Objectio ex S. Aug.*

Sed enim, dicet aliquis: S. Aug. lib. de Corrept. & grat. c. 11. & 12. multas affert diſtinctiones inter gratiam hominis integri, & lapſi; quod etiam facit aliis pluribus locis, ut proinde videatur, hìc tantùm voluiſſe comparationem facere in aliquo, non autem in omnibus. Fateor, multas eſſe diverſitates inter gratiam primi hominis, & gratiam hominis lapſi. In primis, quod hæc ſæpè ſit efficax, illa ſolùm fuerit ſufficiens; & conſequenter, quòd hæc det poſſe & velle ac facere, illa ſolùm dederit poſſe. Loquatur S. Aug. d. cap. 11. *Si autem hoc adjutorium* (ſine quo non, ſeu gratia ſufficiens) *vel Angelo, vel homini, quùm primò facti ſunt, defuiſſet, quoniam non talis natura facta erat, ut ſine divino adjutorio poſſet manere ſi vellet, non utique ſuâ culpâ cecidiſſent. Adjutorium quippe defuiſſet, ſine quo manere non poſſent. Nunc autem quibus deeſt tale adjutorium, jam pœna peccati eſt. Quibus autem datur, ſecundùm gratiam datur, non ſecundùm debitum, & tantò amplius datur per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, quibus id dare Deo placuit, ut non ſolùm adſit, ſine quo permanere non poſſumus, etiamſi velimus; verùm etiam tantum ac tale ſit, ut velimus.*

*Prima differentia inter gratiam primi hominis, & hominis lapſi. S. Aug.*

*Eſt quippe in nobis per hanc Dei gratiam* (ſcilicet efficacem) *in bono recipiendo, & perſeveranter tenendo, non ſolùm poſſe, quod volumus, verùm etiam velle, quod poſſumus. Quod non fuit in homine primo; unum enim horum in illo fuit, alterum non fuit: namque ut reciperet bonum, gratiâ non egebat, quia nondum perdiderat: ut autem in eo permaneret, egebat adjutorio gratiæ, ſine quo id omninò non poſſet: & acceperat poſſe ſi vellet, ſed non habuit velle, quod poſſet: nam ſi habuiſſet, perſeveraſſet. Poſſet enim perſeverare etiam ſi vellet, quod ut nollet de libero deſcendit arbitrio, quod tunc ita liberum erat, ut benè velle poſſet & malè.* Hæc eſt prima differentia inter gratiam hominis integri, & gratiam hominis lapſi. 170.

*Gratia primi hominis non fuit efficax, ſicut gratia hominis lapſi.*

Alia diſcrimina tradit ibidem Aug. circà principium cap. dicens: *Quid ergo? Adam non habuit Dei gratiam? Imò verò habuit magnam, ſed diſparem. Ille in bonis erat, quæ bonitate ſui conditoris acceperat. Neque enim ea bona & ille ſuis meritis comparaverat, in quibus prorſus nullum patiebatur malum. Sancti verò in hac vita, ad quos pertinet liberationis hæc gratia, in malis ſunt, ex quibus clamant ad Deum:* Libera nos à malo. *Ille in illis bonis Chriſti morte non eguit; iſtos à reatu, & hæreditario, & proprio, illius Agni ſanguis abſolvit. Ille non opus habebat eo adjutorio, quod implorant iſti, cum dicunt:* Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, *Quoniam in eis* caro concupiſcit adversùs ſpiritum, & ſpiritus adversùs carnem; *atque in tali certamine laborantes ac periclitantes, dari ſibi pugnandi vincendiq; virtutem per Chriſti gratiam poſcunt. Ille verò nullâ tali rixâ à ſeipſo adversùs ſeipſum tentatus atque turbatus in illo beatitudinis loco ſuâ ſecum pace fruebatur. Proinde etſi non interim lætiore nunc, verumtamen potentiore gratiâ indigent iſti: & quæ potentior, quàm Dei unigenitus Filius, æqualis Patri & coæternus, pro eis homo factus, & ſine ullo vel originali, vel proprio peccato ab hominibus peccatoribus crucifixus?* 171.

*Alia diverſitates.* S. Aug.

*Gratia Adæ non fuit ex morte Chriſti, ſicut gratia hominis lapſi eſt.*

Igitur gratia hominis lapſi quàmvis non lætior, tamen potentior eſt; nam invenit concupiſcentiam inter carnem & ſpiritum; ſecùs gratia Adami, de quo ſup. Aug. d. c. 12. *Denique ille Adam, & terrente nullo, & inſuper contra Dei terrentis imperium, libero uſus arbitrio, non ſtetit in tanta felicitate, in tanta non peccandi facilitate.* Et infrà: *Tales vires habebat ejus voluntas, quæ ſine ullo fuerat inſtituta peccato, & nihil illi ex ſeipſa concupiſcentialiter reſiſtebat, ut dignè tantæ bonitati, & benè vivendi facilitati perſeverandi committeretur arbitrium: Deo quidem præſciente, quid eſſet facturus injuſtè; præſciente tamen, non ad hoc* 172.

*Gratia primi hominis fuit lætior, hominis lapſi eſt potentior.*

*cogente* (id eſt, neceſſitante) *ſed ſimul ſciente, quid de illo ipſe faceret juſtè. Nunc verò poſteaquam eſt illa magna peccati merito omiſſa libertas* (utique *habendi*, ut loquitur idem Sanctus Doct. lib. 1. contra duas Epiſt. Pelag. c. 2. *plenam cum immortalitate juſtitiam*) etiam majoribus donis (ſcilicet gratiâ Chriſti) *adjuvanda remanſit infirmitas* humana. Igitur magna diſparitas inter gratiam hominis integri, & gratiam hominis lapſi.

173. *An ex his differentiis ſequatur, quòd homo non habeat gratiam ſufficientem*

Sed quid inde? Num ex ea diſparitate efficaciter infertur, hominem lapſum non habere ex mente D. Aug. gratiam merè ſufficientem ad præcepta Dei implenda; ſed vel nullam habere gratiam, adeòque obſervationem præcepti eſſe impoſſibilem, vel habere gratiam efficacem, quâ non ſolùm poſſit, ſed etiam actu impleat præceptum? Cenſen, inquam, id ſequi ex d. verbis S. Auguſtini? Quid ni, reponit quiſpiam, cenſeam? Nam d. cap. 11. citato expreſsè negat quibuſdam adjutorium, quod Adam habuit, ibi: *Nunc autem quibus deeſt tale adjutorium, jam pœna peccati eſt; quibus autem datur. &c.*

174. *Quibus neget Deus gratiã ſufficientem,*

Planè negat quibuſdam; ſed, quæſo te, qui illi? Reſpondet aliquis Neotericus Scriptor: Angeli & homines damnati. Concedit autem homini viatori, non quidem in quocumque inſtanti, ſed pro loco & tempore; neque quo faciliter poſſit implere omnia mandata divina uſque in finem, quale adjutorium habuit Adam, ſed quo abſolutè poſſit immediatè vel mediatè juxta ante dicta. Placet reſponſio? Vide quid ei poſſis opponere. Ego ulteriùs dico: quoniam omnes homines Deus potuiſſet relinquere in maſſa damnationis, ſicut reliquit omnes malos Angelos, ideò benè dixit D. Aug. *Quibus autem datur* (adjutorium Adami, id eſt, poſſibiltas perſeverandi uſque in finem in obſervatione mandatorum Dei) *ſecundùm gratiam datur, non ſecundùm debitum: & tantò ampliùs datur per Ieſum Chriſtum Dominum, quibus id dare Deo placuit* (id eſt, prædeſtinatis) *ut non ſolùm adſit, ſine quo manere non poſſumus, etiamſi velimus; verùm etiam tantum ac tale ſit, ut velimus*, & maneamus.

*Homini lapſo non datur adjutorium Adami ſecundùm debitum S. Aug.*

175. *Cum ſolo adjutorio Adami homo lapſus non perſeveraret.*

*Nam* (auditis rurſum Aug. eod. lib. c. 12.) *ſi in tanta infirmitate vitæ hujus, in qua tamen infirmitate propter elationem reprimendam perfici virtutem oportebat, ipſis relinqueretur voluntas ſua, ut in adjutorio Dei, ſine quo perſeverare non poſſent, manerent ſi vellent, nec Deus in eis operaretur ut vellent, inter tot & tantas tentationes infirmitate ſua voluntas ipſa ſuccumberet; & ideò perſeverare non poſſent* (id eſt, non perſeverarent) *quia deficientes, infirmitate nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis, ut poſſent*, id eſt, ut perſeverarent. Etenim potentiam hic ſumi pro ipſo actu nimis clarum eſt, cùm per adjutorium ſine quo non data fuerit potentia perſeverandi Adamo, potentia, inquam, diſtincta ab actu: ſupponit autem Aug in homine lapſo tale adjutorium; ergo admittit poſſibilem perſeverantiam, & ſolùm negat actum futurum propter infirmitatem voluntatis, per peccatum originale contractam.

176. Quod probè ſcientes Patres Concilii Trident. ſeſſ. 6. c. 13. non ajunt, de poſſibilitate perſeverandi; ſed *de perſeverantiæ munere* (id eſt, de ipſa perſeverantia) *de quo ſcriptum eſt* (Matth. 10. v. 22.) Qui perſeveraverit uſque in finem hic, ſalvus erit: *quod quidem aliunde haberi non poteſt, niſi ab eo, qui potens eſt eum, qui ſtat, ſtatuere, ut perſeveranter ſtet, & eum, qui cadit, reſtituere; nemo ſibi certi aliquid abſolutâ certitudine polliceatur; tametſi in Dei auxilio firmiſſimam ſpem collocare & reponere omnes debent. Deus enim niſi ipſi illius gratiæ defuerint, ſicut cœpit opus bonũ, ita perficiet operans velle & perficere*; Dando utique gratiam efficacem, quâ non ſolùm poſſibilitas, ſed etiam ipſe effectus proveniat.

Unde dum idem Concil. eâdem. ſeſſione can. 22. definit: *Si quis dixerit, juſtificatum vel ſine ſpeciali auxilio Dei in accepta juſtitia perſeverare poſſe, vel cum eo non poſſe; anathema ſit.* Qui canon correſpondet d. cap. 13. in hac, inquam, definitione, vel per ſpeciale auxilium non intelligitur, niſi auxilium actuale gratiæ ſufficientis, quod dicitur ſpeciale, prout opponitur auxilio ordinis naturalis; vel per poſſe perſeverare intelligenda venit actualis perſeverantia; & ad hanc requiritur ſpeciale auxiliũ etiã in ordine gratiæ ſupernaturalis, utpote quod non omnibus datur, ut patet, ſed ſolis electis. Eſt porrò hæc perſeverantia continuatio omnium auxiliorum, non ſolùm ſufficientium, ſed etiam efficacium uſque in finem. Ergo conſimiliter, quando Concilium can. ſequenti dicit, ut ſup. audivimus, hominem non poſſe in tota vita peccata omnia, etiam venialia vitare, niſi ex ſpeciali Dei privilegio, intellige, ſi placet, per potentiam actum, id eſt, non evitaturum juxta ſup. dicta. Nota quoque hoc privilegium eſſe magis ſpeciale, quàm iſtud, utpote quod paucioribus conceditur, ut patet ex dictis.

Hæc doctrina confirmatur ex D. Aug. lib. 2. de Peccat. meritis. ubi cap. 20. ad hanc quæſtionem: *Vtrùm, qui omnino nunquam ullum peccatum habuerit, habiturusque ſit, non ſolùm quiſquam natorum hominum ſit; verùm etiam potuerit aliquando eſſe vel poſſit?* Ad hanc, dico, quæſtionem reſpondet: *Hunc prorſus, præter unũ Mediatorẽ Dei & hominum, hominẽ Chriſtũ Ieſum, nullũ vel eſſe, vel fuiſſe, vel futurum eſſe, certiſſimum eſt.* Ubi, ut vides, ad interrogationem, quâ quæritur, an ſit poſſibile, reſpondet, non eſſe futurum; ergo per poſſibilitatem intellexit actum ipſum. Alioqui certum eſt, non implicare, Deum creare hominem præter Chriſtum, qui foret ſine omni omninò peccato tam originali, quàm perſonali; imò probabilius eſt, D. Virginem fuiſſe ſine omni omninò peccato; non ex ſeipſa, veluti Chriſtus, ſed ſingulariſſimo Dei privilegio. Sed quorſum hæc omnia? Ad conciliandum decretum Innoc. X. de poſſibilitate obſervandi omnia mandata divina cum definitione Concilii Tridentini de impoſſibilitate evitandi in tota vita omnia peccata etiam venialia.

His tamen non obſtantibus, ſunt, qui exiſtiment, ſententiam eſſe D. Aug. alicui homini juſto volenti & conanti ſecundùm præſentes, quas habet vires, aliquod mandatum eſſe impoſ-

poſſibile, deeſſe quoque gratiam, quâ poſſibile fiat. Id eſt, non dari omnibus gratiam ſufficientem, ſed omnem gratiam eſſe efficacem; adeòque nulli eſſe poſſibile obſervare mandatum, qui illud de facto non obſervat: conſtat autem plures de facto non obſervare. Hoc tamen intelligunt de potentia proxima, id eſt, quæ alio inſuper auxilio nõ indiget, ut in opus ſuum exeat.

180. *Probant ex D. Aug.* Pro qua doctrina (Auguſtini, ut putant) adducunt illud ex lib. de Grat. & libero arbit. c. 17. in principio: *Qui ergo vult facere Dei mandatum, & non poteſt, jam quidem habet voluntatem bonam, ſed adhuc parvam & invalidam; poterit autem, cum magnam habuerit & robuſtam.* Et poſt pauca exemplificat, quod dixit, in Apoſtolo Petro: *Iſtam,* inquit, *Charitatem Apoſtolus Petrus nondum habuit, quando timore Dominum ter negavit.* Timor enim non eſt in Charitate, *ſicut ait Ioan. Euang. in Epiſt. ſua* (1. c. 4. v. 18.) ſed perfecta Charitas foras mittit timorem. *Et tamen, quàmvis parva & imperfecta, non deerat, quando dicebat Domino:* Animam meam pro te ponam (Joan. 13. v. 37.) *putabat enim ſe poſſe, quod ſe velle ſentiebat.* *Reſpondetur Aug. per potentiam intelligere actum.* Reſpondetur: etiam hìc per potentiam S. Aug. intelligere actum, prout alibi adhuc dictum fuit, ut idem ſit: *Et non poteſt*, quod, non facit: *Poterit autem*, hoc eſt faciet. Loquitur ergo de gratia efficaci, cui infallibiliter conjungitur effectus. Unde poſt verba primò allegata continuò attexit *Quãdo enim Martyres magna illa mãdata fecerunt, magna utique voluntate, hoc eſt, magna Charitate fecerunt, de qua Charitate ipſe Dominus ait* (Joan. 15. v. 13.) *Majorem hâc charitatem nemo habet, quàm ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Non dicitur, ut poſſit ponere, ſed, *ut ponat.*

181. *Senſus verborum Aug.* Senſus ergo poſteriorum verborum eſt: Putabat Petrus ſe facturum, quod ſe velle ſentiebat: ſed non fecit, etſi potuiſſet facere, quia non habuit gratiam efficacem (quam intelligit Aug. per Charitatem perfectam) ſed ſufficientem tantùm. Hinc concludit dicens: *Ut ergo velimus; ſine nobis operatur, cùm autem volumus, & ſic volumus, ut faciamus, nobiſcum cooperatur; tamen ſine illo, vel operante ut velimus, vel cooperante, cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus. Quoniam* (ut ibidem ait) *ipſe ut velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens. Propter quod ait Apoſtolus* (Philipp. 1. v. 6.) Certus ſum, quoniam, qui operatur in vobis opus bonum, perficiet uſque in diem Chriſti Jeſu.

182. *Nunquã eſt gratia efficax ſine actu.* Si ergo per potentiam proximam velis intelligere gratiam efficacem, admittimus libenter, quòd nunquam ſit potentia proxima ſine actu. Verùm enimverò ultra hanc potentiam proximam dico, dari aliam proximam, quæ quidem poſſet exire in actum ſine alio inſuper auxilio; ſed nunquam exiet defectu voluntatis tum divinæ, tum humanæ. Atque illa eſt gratia ſufficiens, quam ſup. agendo de voluntate antecedente, oſtendimus, D. Aug. in pluribus locis agnoviſſe. Vide ibi dicta.

183. *Probatur gratia ſufficiens ex D. Aug.* Adde hìc, quod habet cap. 26. de Natur. & grat. ubi ſimilitudinẽ Dei cum medico, quam Pelagius ei propoſuerat, in hoc claudicare dicit, quòd *Medicus homo, cum ſanaverit hominem, jam de cætero ſuſtentandum elementis & alimentis corporalibus, ut eadem ſanitas apto ſubſidio convaleſcat atque perſiſtat, Deo dimittit ..... Ipſe autem Deus, cum per mediatorem Dei & hominum, hominem Ieſum Chriſtum ſpiritaliter ſanat ægrum, vel vivificat mortuum, id eſt juſtificat impium; & cum ad perfectam ſanitatem, hoc eſt ad perfectam vitam juſtitiamque perduxerit, non deſerit, ſi non deſeratur, ut piè ſemper juſtèque vivatur. Sicut enim oculus corporis etiam pleniſſimè ſanus, niſi candore lucis adjutus, non poteſt cernere: ſic homo etiam perfectiſſimè juſtificatus, niſi æternâ luce juſtitiæ divinitus adjuvetur, rectè non poteſt vivere. Sanat ergo Deus, non ſolùm ut deleat, quod peccavimus; ſed ut præſtet etiam, ne peccemus.* Hæc D. Aug. Quo loco utitur Trident. ſeſſ. 6. cap. 11. ibi: *Quò fit, ut juſti ipſi eò magìs ſe obligatos ad ambulandum in via juſtitiæ ſentire debeant, quò liberati jam à peccato, ſervi autem facti Deo ſobriè, juſtè, & piè viventes proficere poſſint per Chriſtum Ieſum, per quem acceſſum habuerunt in gratiam iſtã. Deus namque ſuâ gratiâ ſemel juſtificatos non deſerit, niſi ab iis priùs deſeratur.* *Deus non deſerit, niſi priùs deſeratur.*

184. *Reſponſio Adverſariorum rejicitur primò.* Reſpondent Adverſarii: Deum non deſerere per ſubtractionem gratiæ ſanctificantis; ſecùs per ſubtractionem gratiæ actualis. Sed hoc ſup. improbavimus; & rurſùm improbamus: quia Aug. aſſerit, medicum deſerere, non Deum; ſed medicus deſerit, non ſubtrahendo ſanitatem, vel deſinendo illam immediatè conſervare; ſed ſubtrahendo conſilia ſua ac remedia; ergo Deus ſua conſilia ac remedia non ſubtrahit, id eſt, gratias actuales. *Secundò.* Secundò, non deſertio Dei conſiſtit in hoc, quòd Deus juvet, ut piè ſemper juſtèque vivatur, prout patet ex Trid. mox allegato: hoc autem fit per gratias actuales.

185. *Tertiò.* Et verò, quid aliud clamat comparatio oculi ſani, quâ ibi utitur D. Auguſtinus? Etenim æterna illa lux juſtitiæ eſt gratia actualis, per quam præſtat Deus, ne peccemus, cùm per gratiam juſtificantem deleat, quod peccavimus. *Homo ergo* (inquit S. Aug. lib. de Grat. & libe. arbitr. c. 4. in fine) *gratiâ juvatur, ne ſine cauſa voluntati ejus jubeatur.* Itemque cap. 16 in principio. *Magnum aliquid Pelagiani ſe ſcire putant, quando dicunt:* Non juberet Deus, quòd ſciret non poſſe ab homine fieri. *Quis hoc neſciat? Sed ideò jubet aliqua, quæ non poſſumus, ut noverimus, quid ab illo petere debeamus. Ipſa eſt enim fides, quæ orando impetrat, quod lex imperat.* *Quarè Deus jubeat aliqua, quæ non poſſumus, ex D. Aug.*

186. *Ex vitiis naturæ eſt quadã neceſſitas peccandi. S. Aug.* Hinc ut ſup. audivimus ex eod Doct. lib. de Natur. & grat. c. 69. firmiſſimè oportet credere, *Deum juſtum & bonum impoſſibilia non potuiſſe præcipere* &c. Et cap. 66. ait: *Quòd ex vitiis naturæ, non ex conditione naturæ ſit quædam peccandi neceſſitas, audiat homo, atque, ut eadem neceſſitas non ſit, diſcat Deo dicere:* De neceſſitatibus meis educ me (Pſal. 24. v. 17.) *quia & in hujuſmodi oratione certamen eſt adversùs tentatorem, de ipſa contra nos neceſſitate pugnantem: ac per hoc, opitulante gratiâ per Ieſum Chriſtum Dominum, & mala neceſſitas removebitur, & libertas plena tribuetur.* Si eſt impoſſibile, ut quis audiat, diſcat, vel oret, quando hæc non facit, fruſtra ad ea nos excitat Aug. Deinde: falſa promittit, ſi gratia neceſſaria negetur juſtis

etiam

etiam volentibus, conantibus & orantibus.

187. *Quibus juſtis negetur gratia neceſſaria ſecundùm Adverſarios* S. Aug.

Reſpondent Aliqui: juſtos illos, quibus negatur gratia neceſſaria, non velle conari, & orare, ut oportet; quod tamen requiritur ex mente D. Auguſtini lib. de Natur. & grat. c. 17. in fine: *Admonemur* (inquit) *à Deo petere ſapientiam*, qui dat omnibus affluenter (Jac. 1. v. 5.) *utique his omnibus, qui ſic petunt, & tantùm petunt, quomodò & quantùm res tanta petenda eſt.* Et Serm. 3. de Verb. Apoſt. cap. 10. ait: *Non ſufficit ut velis. Adjuvandus es, ut plenè velis, & impleas quod velis.*

*Concilium Arauſican.* Quapropter Concilium Arauſ. 2. c. 25. *Hoc* (inquit) *ſecundùm fidem Catholicam credimus, quòd, acceptâ per Baptiſmum gratiâ, omnes Baptizati* (*Chriſto auxiliante & cooperante*) *quæ ad ſalutem pertinent poßint & debeant* (*ſi fideliter laborare voluerint*) *adimplere.* Ergo oportet fideliter laborare, & non ſufficit qualiscumque labor.

188. *Quid cenſeatur homo habere in ſua poteſtate ex D. Aug.*

Sed quis hoc neſciat? Num inde benè infertur: ergo, qui non laborat fideliter, non poteſt fideliter laborare? Imò potiùs oppoſitum ſequitur ex d. verbis, ſcilicet: Ergo habet potentiam laborandi fideliter. *Hoc quiſque* (auditis Auguſtinum lib. de Spir. & lit. c. 31.) *in poteſtate habere dicitur, quod, ſi vult, facit; ſi non vult, non facit. Qui enim* (inquit Aug. lib. 2. de Act. cum Fel. c. 5.) *ſervare legem non vult, in poteſtate ejus eſt, ſi velit.* Et cap. 4. ſic ait. *Habet unuſquiſque in voluntate aut eligere, quæ bona ſunt, & eſſe arbor bona; aut eligere, quæ mala, & eſſe arbor mala* (dicente Domino Matth. 12. v. 33.) *Aut facite arborem bonam, & fructum ejus bonum; aut facite arborem malam, & fructum ejus malum.*) *Cum ergo dicit, aut hoc facite, aut illud facite, poteſtatem indicat, non naturam.*

189. *Si homo careret libero arbitrio non eſſet capax meriti vel demeriti.* S. Aug.

Ac poſt pauca: *Hoc ergo Dominus dicens, aut facite illud, aut facite illud, oſtendit eſſe in poteſtate, quòd facerent, ipſe ſecurus & certus in ſe tanquam Deus. Et quia, ſi bonum eligerent, præmium ejus acciperent, ſi malum eligerent, pœnam ejus ſentirent.* Si ergo naturâ ſuâ, & non voluntate faciunt, *Id eſt* (juxta Aug. lib. de duabus animab. c. 12.) *ſi libero ad faciendum, & non faciendum motu animi carent*, neque, ſi bonum eligerent, præmium ejus acciperent; neque, ſi malum eligerent pœnam ejus ſentirent. *Quod non eſt* (teſte Aug. lib. 1. Retract. c. 22.) *contra gratiam Dei, quam prædicamus In poteſtate quippe hominis eſt mutare in melius voluntatem: ſed illa poteſtas nulla eſt, niſi à Deo detur, de quo dictum eſt* (Joan. 1. v. 12.) *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.* Nam (ut eod. lib. cap. 10 ait) *Verum eſt, omninò omnes homines poſſe* (ſe ad ad Dei præcepta implenda convertere) *ſi velint; ſed præparatur voluntas à Domino* (per gratiam prævenientem) *& tantùm augetur munere Charitatis* (id eſt, gratiâ efficaci) *ut poßint*, & impleant. Sic ego intelligo D. Aug. ſalvo meliori.

*In poteſtate hominis eſt mutare in melius voluntatem ex S. Aug.*

190. *Probatur liberum arbitrium ex Script. uti & gratia. S. Aug.*

Appoſitè porrò Eccleſiaſticus cap. 15. v. 18. *Ante hominem vita & mors, bonum & malum: quod placuerit ei, dabitur illi; quoniam multa ſapientia Dei, & fortis in potentia, videns omnes ſine intermiſſione.* Ecce apertiſſimè videmus expreſſum liberum humanæ voluntatis arbitrium, & gratiam Dei. Cavendum enim eſt, ne divina teſtimonia, *Quæ* (juxta D. Aug. lib. de Grat. & libe. arbitr. c. 4. in princip.) *ſine dubitatione ſunt plurima, in defenſione liberi arbitrii ſic intelligantur, ut ad vitam piam & bonam converſationem, cui merces æterna debetur, adjutorio & gratiæ Dei locus non relinquatur.*

Ideòque benè dixit S. Proſp. lib. 2. de Vocat. Gent. c. 12. *Multis, qui jam judicio rationis utuntur, ideò liberum eſſe diſcedere* (à Deo) *ut non diſceßiſſe ſit præmium, & ut, quod non poteſt, niſi cooperante Spiritu Dei, fieri, eorum meritis deputetur, quorum id potuit voluntate non fieri. Quæ voluntas in malis actionibus ſola eſſe poteſt: in bonis autem ſola eſſe non poteſt.* Quis jam non clarè intuetur, dicta verba Concil. Arauſ. *Si fideliter laborare voluerint*, nostram ſententiam potiùs confirmare, quàm infirmare? Nonne poteſtas obſervandi mandata rectè colligitur ex hiſce verbis Eccleſiaſtic. 15. v. 15. & ſeqq. *Adjecit mandata & præcepta ſua. Si volueris mandata ſervare, conſervabunt te, & in perpetuum fidem placitam facere. Appoſuit tibi aquam & ignem, ad quod volueris porrige manum tuam?* Ergo conſimiliter ex verbis d. Concilii: *Si fideliter laborare voluerint*, rectè colligitur: omnes baptizatos habere potentiam mediatam vel immediatam fideliter laborandi; & per conſequens potentiam obſervandi mandata Dei; hoc autem, & non aliud, nos docemus.

*Non poſſum* (inquit Aug. lib. 3. de liber. arbitr. c. 3.) *aliud ſentire eſſe in poteſtate noſtra, niſi quod cùm* (hoc eſt, *ſi*, aut, *quia*) *volumus facimus*, & cum nolumus, non facimus. *Si enim* (ut loquitur idem S. Doct. lib. 5. de Civit. c. 10.) *neceßitas noſtra illa dicenda eſt, quæ non eſt in noſtra poteſtate, ſed, etiamſi nolumus, efficit quod poteſt, ſicut eſt neceßitas mortis: manifeſtum eſt voluntates noſtras, quibus rectè, vel perperam vivitur, ſub tali neceßitate non eſſe. Multa enim facimus, quæ ſi nollemus, non utique faceremus. Quò primitùs pertinet ipſum velle; nam, ſi volumus, eſt, ſi nolumus, non eſt. Non enim vellemus, ſi nollemus. Si autem illa definitur eſſe neceßitas, ſecundùm quam dicimus neceſſe eſſe, ut ita ſit aliquid, vel ita fiat, neſcio cur eam timeamus, ne nobis libertatem auferat voluntatis. Neque enim & vitam Dei, & præſcientiam Dei ſub neceßitate ponimus, ſi dicimus, neceſſe eſſe Deum ſemper viuere, & cuncta præſcire.*

Aliud ſimile ibidem affert dicens: *Sicut etiam cum dicimus, neceſsè eſt eſſe, ut, cum volumus, libero velimus arbitrio: & verum procul dubio dicimus, & non ideò ipſum liberum arbitrium neceßitati ſubjicimus, quæ adimit libertatem.* Ut quid ita? Quippe eſt neceſſitas conſequens, ſimilis ei, *Quæ* (ut loquitur D. Anſel. lib. de Concord. c. 3.) *deſcendit de libera voluntate: poteſt namque non velle, antequam velit, quia libera eſt; &, cum vult, non poteſt non velle; ſed eam velle neceſſe eſt, quoniam impoſſibile illi eſt, idipſum ſimul velle, & non velle.* Atque hæc ſatis pro explicatione Concil. Arauſ.

Tantùm addo, quod lego eod. cap. 25. *Hoc* (aliàs, *hæc*) *Deo propitiante & prædicare debemus & credere, quòd per peccatum primi hominis ita inclinatum & attenuatum fuerit liberum arbitrium, ut nullus poſtea aut diligere Deum ſicut oportuit, aut credere in Deum, aut operari propter Deum, quod bonum*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*…ret ſine …jutorio …bi ex Con- …il. Arauſi- …cano.*

bonum eſt, poßit, niſi eum gratia miſericordiæ divinæ prævenerit. Vel, ut Alii legunt: *Niſi gratia eum & miſericordia divina prævenerit.* Et aliquibus interpoſitis: *Hoc etiam ſalubriter profitemur, quòd in omni opere bono non nos incipimus, & poſtea per Dei miſericordiam adjuvamur; ſed ipſe nobis, nullis præcedentibus bonis meritis, & fidem, & amorem ſui priùs inſpirat, ut & Baptiſmi Sacramenta fideliter requiramus, & poſt Baptiſmum cum ipſius adjutorio, ea, quæ ſibi ſunt placita, implere poßimus,* ac impleamus. Itaque ſine adjutorio Dei ſolum liberum arbitrium non poſſe fideliter laborare, ingenuè fatemur.

195. *Idem ex S. Aug.* Nec aliud intendit D. Aug. toto lib. de Natur. & grat. probare contra Pelagium. Hinc cap. 44. in fine ſic ait: *Quid enim dici breviùs potuit & veriùs, quàm poßibilitatem non peccandi, quantacumque eſt, vel erit in homine, non niſi Deo debere reputari? Hoc & nos dicimus, jungamus dexteras.* Et cap. 62. *Beatus* (inquit) *Hilarius, cujus verba hæc poſuit* (Pelagius) Non enim niſi ſpiritu perfecti, & immortalitate mutati, quod ſolis mundis corde diſpoſitum eſt, hoc quod in Deo eſt immortale cernemus: *quid dixerit contra id, quod dicimus, vel quid illum adjuvet, neſcio, niſi quia poſſe eſſe hominem mundo corde teſtatus eſt? Quod quis negat? Sed gratiâ Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, non ſolâ arbitrii libertate.* Ac in fine ejuſdem cap. lego hæc verba: *Pro gratia Chriſti clamo, ſine qua nemo juſtificatur, tanquam ſufficiente naturæ libero arbitrio. Imo ipſe* (Chriſtus) *pro ea clamat, ei credatur dicenti* (Joan. 15. v. 5.) *Sine me nihil poteſtis facere.*

196. *Aug. non damnat Catholicos, qui credunt poſſibilia eſſe mandata.* Ex quibus manifeſtum eſt, D. Aug. non impugnare, vel damnare Catholicos, qui credunt poſſibilia eſſe mandata, etiam his, qui illa tranſgrediuntur, ſed hæreticos Pelagianos, qui aſſerunt, illam poſſibilitatem provenire ex ſola arbitrii libertate, ex ſufficiente naturæ libero arbitrio, ex eadem poteſtate, quâ potuit homo vitiari, quod ſine dubio potuit ſine gratia præveniente & cooperante.

197. *Duplici ratione poteſt quis aliquid facere. Primò.* Audite Doctorem Seraphicum S. Bonaventuram 2. diſt. 28. in Expoſit. textûs dub. 3. ubi quærit pro quanto verbum illud habeat veritatem, quòd nullus peccat in eo, quod non poteſt facere vel vitare, & reſpondet ſub hac forma verborum: *S. Bonav.* *Dicendum, quod poſſe quid facere vel vitare dupliciter alicui poteſt attribui. Vno modo dicitur aliquis aliquid poſſe; quia per ſeipſum, ſine aliquo alieno ſuffragio, poteſt illud, ſicut aliquis poteſt comedere, quando eſt ſanus, & habet cibum.* *Secundò.* *Alio modo dicitur aliquis aliquid poſſe, non ſolùm, quia poteſt illud per ſe, & in ſe; ſed quia poteſt cum alio, qui ſibi præſtò eſt; & hoc modo accipiendo poſſe, omne quod Deus præcipit in noſtra poteſtate eſt; quia ipſe, qui præcipit, præſtò eſt præbere gratiam adjuvantem, per quam poſſumus perficere.*

198. *Quâ ratione omne quod præcipit Deus ſit in noſtra poteſtate.* *Primo modo accipiendo poſſe, non omne quod præcipit eſt in noſtra poteſtate; non tamen ex hoc excuſatur aliquis; ſicut ſi præciperet Dominus ſervo, quod daret ſibi ad bibendum, & ipſe non haberet aquam, ſi poſſet eam acquirere, non excuſaretur; ſic & in propoſito intelligendum eſt. Accipiendo autem poſſe, ſive aliquis poßit in ſe, ſive per divinum auxilium, intelligit Aug. & hoc inſinuat ejus verbum:* Nunquid quis peccat in eo, quod nullo modo evitare poteſt? *Et ſic intellexit etiam Hieronymus,* S. Hieronymus. *cùm dixit, illum eſſe anathema, qui dicit, Deum præcepiſſe impoßibile. Pelagius autem accepit primo modo; & ideo erravit, & plus attribuit libero arbitrio, quàm poßit.* Hucuſque Doctor Seraphicus. Igitur qui aſſerunt, gratiam fore neceſſariam, non damnantur à S. Aug. Neque deprimunt gratiam, & extollunt liberum arbitrium; ſed potiùs amplificant gratiam, cauſantes, hominem ſaltem ſufficientem habere, etiam quando mandatum tranſgreditur, cùm tamen alii eam tunc negent.

199. *Quâ ratione gratia ſit neceſſaria ad peccandum.* Si inferas: ergo gratia ſaltem ſufficiens neceſſaria eſt ad peccandum, imò completam eſſentiam libertatis requiſitæ ad demeritoriè peccandum ingreditur auxilium gratiæ, tanquàm pars illius conſtitutiva. Reſpondeo: non magis quàm lex & legis notitia ſit neceſſaria ad peccandum, aut completam eſſentiam libertatis ingrediatur: nam etiam ubi non eſt lex aut legis notitia, non eſt tranſgreſſio. Porrò ſine gratia non eſt tranſgreſſio voluntaria ſeu libera, quia bonum oppoſitum eſt impoſſibile. Non ergo datur gratia ad peccandum: neque lex poſita eſt, ut homo eam tranſgrediatur, ſed potiùs ad bonum operandum: attamen quia & lege & gratiâ abutitur homo, idcirco imputatur ei & gratia & lex in peccatum, juxta illud D. Bern. D. Bernardus. Serm. 1. in Pentecoſten: *Multi moventur, ut benè faciant; ſed minimè ſciunt, quid agendum ſit niſi adſit denuo gratia Spiritûs ſancti, ut quam inſpirat cogitationem, doceat in opus proferre, ne vacua in nobis ſit gratia Dei. Sed quid? Scienti bonum, & non facienti, peccatum eſt illi gratia.* Ergo ſupponit D. Bern. quòd poſſit quis moveri ad bonum, & ſcire bonum per gratiam Spiritûs ſancti, & tamen non facere; quod non eſt aliud, quàm habere gratiã ſufficientem, & non habere efficacẽ. *Poteſt quis moveri ad bonum, & tamen non facere.*

Nunquam legiſtis, quod ait Dominus in Euangelio Luc. 12. v. 47. 200. *Servus, qui neſcit voluntatem Domini ſui* (ita legit D. Aug. ſtatim citandus) *& facit digna plagis, vapulabit pauca: ſervus autem, qui ſcit voluntatem Domini ſui, & facit digna plagis, vapulabit multa? Ecce* (utor verbis S. Aug. de Grat. & libe. arbitr. c. 3.) *ubi oſtendit graviùs peccare hominem ſcientem, quàm neſcientem.* (Num ideò illa ſcientia mala?) *Nec tamen ideo confugiendum eſt ad ignorantiæ tenebras, ut in eis quiſque requirat excuſationem. Aliud eſt enim neſciſſe, aliud ſcire noluiſſe. Voluntas quippe in eo arguitur, de quo dicitur* (Pſal. 35. v. 4.) Noluit intelligere, ut benè ageret. *Homo ſciens graviùs peccat, quàm neſciens.*

*Sed & illa ignorantia, quæ non eſt eorum, qui ſcire nolunt, ſed eorum, qui tanquàm ſimpliciter neſciunt, neminem ſic excuſat, ut ſempiterno igne non ardeat, ſi propterea non credidit, quia non audivit omnino quod crederet; ſed fortaßè ut mitiùs ardeat; non enim ſine cauſa dictum eſt:* (Pſal. 78. v. 6.) *Effunde iram tuam in Gentes, quæ te non noverunt.* Quid miramini? Nonne Apoſt. Rom. 2. v. 12. dicit: *Quicumque ſine lege peccaverunt, ſine lege peribunt?* Et 201. *An, & quæ ignorantia excuſet à peccato.* S. Aug.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*quàmvis* (auditis Aug. Epiſt. 105.) *ſe ipſi excuſare videantur, non admittit hanc excuſationem, qui ſcit ſe feciſſe hominem rectum, eique obedientiæ dediſſe præceptum, nec niſi ejus, quo malè uſus eſt, libero voluntatis arbitrio, etiam quod tranſiret in poſteros manaſſe peccatum.*

202. *Non damnantur, qui non peccaverunt.*

*Neque enim damnantur, qui non peccaverunt, quandoquidem illud ex uno in omnes pertranſiit, in quo ante propria in ſingulis quibuſque peccata omnes communiter peccaverunt. Ac per hoc inexcuſabilis eſt omnis peccator, vel reatu originis, vel additamento etiam propriæ voluntatis, ſive qui novit, ſive qui ignorat, ſive qui judicat, ſive qui non judicat: quia & ipſa ignorantia in eis, qui intelligere noluerunt, ſine dubitatione peccatum eſt; in eis autem, qui non potuerunt, pœna peccati. Ergo in utriſque non eſt juſta excuſatio, ſed juſta damnatio.* Nam (ut ibidem notat) *ſi excuſatio illa juſta eſſet, non inde jam gratia, ſed juſtitia liberaret. Cùm verò non liberat niſi gratia, nihil juſtum invenit in eo, quem liberat, non voluntatem, non operationem, non ſaltem ipſam excuſationem; nam, ſi hæc juſta eſt, quiſquis eâ utitur, merito, non gratiâ liberatur.*

203. *Aliqua ignorantia poteſt eſſe pœna peccati, quæ tamen non ſit peccatum.*

Hæc latiùs ex Aug. ut oſtendam, malè ex hoc loco probari, ignorantiâ invincibilem juris naturæ non excuſare à peccato, ſcilicet perſonali. Nã hi, qui non potuerunt intelligere, juſtè damnantur propter reatum originis, ad quem contrahendum nulla requiritur ſcientia, ut manifeſtum eſt; ſecùs ad contrahendum peccatum perſonale. Liquidò etiam conſtat ex hoc loco, aliquam ignorantiam poſſe eſſe pœnam peccati, quæ tamen non ſit peccatum. Jam rursùm interrogo: num, quia ſcientia aggravat peccatum, imò neceſſaria eſt ad peccandum perſonaliter, idcirco mala eſt? Quis audeat affirmare? Quo ergo fundamento nonnulli gratiam merè ſufficientem appellant monſtrum potiùs gratiæ, quàm medicinam? An fortè, quia eâ abſente homo non peccaret; eâ autem præſente infallibiliter peccat? Nonne idem dici poſſet de ſcientia? Imò ſic gratia, data primis parentibus & Angelis peccantibus, dicenda fuiſſet monſtrum. Etenim, abſente adjutorio ſine quo non, ſine culpa cecidiſſent, eo autem præſente tranſgrediendo mandatum infallibiliter peccabant. Vera itaque & medicinalis eſt hujuſmodi gratia quantùm eſt de ſe; quòd verò non medetur, oritur ex defectu voluntatis, quæ gratiam Dei in vacuùm recipit.

*Gratia merè ſufficiens non eſt monſtrum.*

204. *Opponuntur aliqua loca D. Aug. Primus.*

Sed, dicet aliquis: S. Aug. lib. de Natur. & grat. c.42. ait: *Neque de ipſa poßibilitate* (non peccandi) *contendo, cùm, ſanatâ & adjutâ hominis voluntate, poßibilitas ipſa ſimul cum effectu in Sanctis proveniat, dum charitas Dei quantùm plenißimè natura noſtra ſana atque purgata capere poteſt, diffunditur in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.* Et lib. 1. de Grat. Chriſti c. 13. *Qui novit quidem quid fieri debeat, & non facit, nondum à Deo didicit ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm legem; non ſecundùm ſpiritum, ſed ſecundùm literam. Quàmvis multi, quod imperat lex, facere videantur timore pœnæ, non amore juſtitiæ.*

*Secundus.*

205. Item cap. 14. *Si,* inquit, *ſicut veritas loquitur: Omnis qui didicit venit, quiſquis non venit, profectò nec didicit. Quis autem non videat, & venire quemquam, & non venire libero arbitrio? Sed hoc arbitrium poteſt eſſe ſolum, ſi non venit; non poteſt autem niſi adjutum eſſe, ſi venit. Et ſic adjutum, ut non ſolùm quid faciendum ſit ſciat, ſed quod ſcierit etiam faciat. Ac per hoc, quando Deus docet non per legis literam, ſed per ſpiritûs gratiam, ita docet, ut quod quiſque didicerit, non tantùm cognoſcendo videat, ſed etiam volendo appetat, agendoque perficiat. Et iſto divino docendi modo etiam ipſa voluntas, & ipſa operatio, non ſola volendi & operandi naturalis poßibilitas adjuvatur. Si enim ſolum poſſe noſtrum hâc gratiâ juvaretur, ita diceret Dominus:* Omnis qui audivit à Patre, & didicit, poteſt venire ad me. *Non autem ita dixit; ſed* Omnis, *inquit,* qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me.

*Venire poſſe in natura poſuit Pelagius, vel etiam, ut modò dicere cœpit, in gratia, qualemlibet eam ſentiat,* quâ ipſa, *ut dicit,* poſſibilitas adjuvatur; *venire autem jam in voluntate & opere eſt. Non eſt autem conſequens, ut, qui poteſt venire, etiam veniat, niſi id voluerit atque fecerit. Sed omnis qui didicit à Patre, non ſolùm poteſt venire, ſed venit; ubi jam & poßibilitatis profectus, & voluntatis affectus, & actionis effectus eſt.* Hucuſque D. Aug. Nunquid contrarius nobis? Non puto. Docet ibi hominibus ſanctis & prædeſtinatis non tantùm dari gratiam ſufficientem, ſive poſſibilitatem benè agendi; ſed etiam gratiam efficacem, ſive voluntatis affectum, & actionis effectum, ut ſuo loco videbimus, & omnes admittunt. Cenſes, quia nos poſſe ponimus in natura, aut in gratia, quâ admiſit Pelagius? Falleris toto cœlo: ſed in vera interna gratia voluntatis, ſine qua non ſolùm nihil boni facimus, ſed nequidem facere poſſumus, teſte Concil. Arauſ. 2. c. 7. ſequentis tenoris.

*Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad ſalutem pertinet vitæ æternæ, cogitare ut expedit, aut eligere, ſive ſalutari, id eſt, Evangelicæ prædicationi conſentire poſſe confirmat, abſque illuminatione & inſpiratione Spiritùs ſancti, qui dat omnibus ſuavitatem in conſentiendo & credendo veritati, hæretico fallitur ſpiritu, non intelligens vocem Dei in Evangelio dicentis:* Sine me nihil poteſtis facere. *Et illud Apoſtoli* (2. Cor. 3. v. 5.) Non quòd idonei ſimus cogitare aliquid à nobis, quaſi à nobis, ſed ſufficiẽtia noſtra ex Deo eſt. Ita Concil. Ubi loqui videtur de poſſibilitate credendi, ut diſtinctâ ab ipſo actu fidei, de quo agit cap. 6. Igitur locus iſte D. Aug. non opponitur noſtræ doctrinæ, ſed potiùs ei favet, ut ſuperiùs adhuc notavi: nam ibi expreſſè diſtinguit inter poſſibilitatis profectum, & voluntatis affectum, & actionis effectũ: quidni ergo queat aliquis habere poſſibilitatem proximam ad obſervanda mandata divina, quàmvis in effectu ea non obſervet? Quàmquam, ut verum fatear S. Aug. dictum locum Joan. 6. v. 45. *Omnis qui audivit &c.* intelligat, & meritò, de gratia efficaci.

De qua etiam loquitur lib. de Grat. & libe. arbitr. c. 16. ibi: *Certum eſt nos facere, cum facimus; ſed ille facit, ut faciamus, præbendo vires efficaciſſimas voluntati.* Nam (teſte eod. Doct. lib. de Prædeſt. SS.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

SS. c. 8.) *Gratia* (ſcilicet efficax) *quæ occultè humanis cordibus divinâ largitate tribuitur, à nullo duro corde reſpuitur; ideò quippe tribuitur, ut cordis duritia primitùs auferatur. Sicque* (ut loquitur Epiſt.107.) *agit ſenſum, ut legi & doctrinæ accommodet aſſenſum.*

209. *Proprium munus gratiæ efficacis.* Atque de eadem gratia intellige, quod habet lib.de Corrept.& grat.cap.2. in principio: *Intelligenda eſt enim gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, quâ ſolâ homines liberantur à malo, & ſine qua nullum prorſus ſive cogitando, ſive volendo & amando, ſive agendo faciunt bonum, non ſolùm ut, monſtrante ipsâ, quid faciendum ſit ſciant; verùm etiam ut, præſtante ipsá, faciant cum dilectione, quod faciunt.* Quod eſt proprium munus gratiæ efficacis. Et aliquibus interpoſitis ita ſcribit: *Non ſe itaque fallant, qui dicunt:* Ut quid nobis prædicatur atque præcipitur, ut declinemus à malo, & faciamus bonum, ſi hoc nos non agimus; ſed id velle & operari Deus operatur in nobis? *ſed potiùs intelligant, ſi filii Dei ſunt, ſpiritu Dei ſe agi, ut, quod agendum eſt, agant, & cum egerint, illi, à quo aguntur, gratias agant: aguntur enim ut agant, non ut ipſi nihil agant.* Itaque *Agis & ageris* (inquit Aug. Ser.13. de Verb. Apoſt. c.11.) *& tunc benè agis, ſi à bono agaris: ſpiritus enim Dei, qui te agit, agentibus adjutor eſt.* Et quomodò adjutor? *Eos* (ait Epiſt.107.) *ad ſeipſum omnipotentiſſimâ facilitate convertens, ac volentes ex nolentibus faciens.*

210. *Deus poteſt malas voluntates, quando voluerit, in bonam convertere.* Nam *Quis tam impiè deſipiat* (utor verbis Aug. Enchir. c. 98.) *ut dicat, Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit, in bonum non poſſe convertere? Hoc niſi credamus* (inquit ibid. c.96.) *periclitatur ipſum noſtræ fidei confeſſionis initium, quâ nos in Deum Patrem omnipotentem credere confitemur.* Hinc *Quando rogavit* (Chriſtus) *ne fides* (Petri) *deficeret, quid* aliud rogavit (interrogat S. Aug.de Corrept. & grat. c.8.) *niſi ut haberet in fide liberrimam, fortiſſimam, invictiſſimam, perſeverantiſſimam voluntatem? Ecce quemadmodum ſecundùm gratiam Dei, non contra eam, libertas defenditur voluntatis. Voluntas quippe humana non libertate conſequitur gratiam, ſed gratiá potiùs libertatem, & ut perſeveret delectabilem perpetuitatem, & inſuperabilem fortitudinem.* *Voluntas gratiâ conſequitur libertatem.*

211. Porrò (auditis rurſum Auguſtinum Enchir. cap.32.) *Si nullus Chriſtianus dicere audebit: non miſerentis eſt Dei, ſed volentis eſt hominis, ne Apoſtolo apertiſſimè contradicat; reſtat, ut proptereà rectè dictum intelligatur* (Rom.9. v.16.) Non volentis, nec currentis, ſed miſerentis eſt Dei, *ut totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam & præparat adjuvandam, & adjuvat præparatam,* ut non ſolùm poſſit bonum agere, ſed ut, quod poteſt agere, agat. Quando autem homines non agunt, ſive omninò non faciendo, ſive non ex charitate faciendo; *Orent* (inquit Aug. ſup. de Corrept. & grat. c. 2. in fine) *ut, quod nondum habent, accipiant. Quid enim habebunt, quod non accepturi ſunt, aut quid habent, quod non acceperunt?* Ait quippe Apoſt. 1.Cor.4. v. 7. *Quis enim te diſcernit? Quid autem habes, quod non accepiſti?*

*Deus dat gratiam ſufficientem & efficacem.*

*Quando oporteat orare. S. Aug.*

Et ecce pervenimus ad alteram objectionem Adverſariorum, cauſantium ex noſtra doctrina ſequi, hominē ſeipſum diſcernere contra iſtud dictum Apoſtoli. Nam, inquiunt, ſint duo juſti, quorum alter velit, alter non velit, cùm ambo pariter poſſint velle, aut non velle, & in ambobus ſit una & æqualis gratia, non videtur diſcerniculum peti poſſe, niſi ex arbitrio creato, juxta illud D. Aug.12. de Civit. c.6. *Si aliqui duo, æqualiter affecti animo & corpore, videant unius corporis pulchritudinem, quâ visâ unus eorum ad illicitè fruendum moveatur; alter in voluntate pudica ſtabilis perſeveret, quid putamus eſſe cauſæ, ut in illo fiat, in illo non fiat voluntas mala, quam illa res fecit, in qua facta eſt?* Et poſt pauca: *Quid aliud apparet, niſi unum voluiſſe, alterum noluiſſe à caſtitate deficere? Vnde niſi propriâ voluntate, ubi eadem fuerat in utroque corporis & animæ affectio; amborum oculis pariter viſa eſt eadem pulchritudo; ambobus pariter inſtitit occulta tentatio?* 212. *An ſequatur ex noſtra doctrina, hominē ſeipſum diſcernere. Arguitur, quòd ſic ex D. Aug.*

Quod ſi verum eſt, conſequenter homo eligit Deum, & non hominem Deus, contra illud Chriſti Joan. 15. v. 16. *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos.* Adeòque perperàm Apoſt. ad Rom. 11.v.33. erupit in has admirantis voces: *O altitudo divitiarum &c.*

Verùm ad hoc ſuprà adhuc reſpondimus; videlicet Apoſtolum non erupiſſe in has voces, quia putaret liberum arbitrium non concurrere cum gratia Dei ad ſui diſcretionem, ſive quia putaret liberum arbitrium non poſſe reſiſtere interiori gratiæ Dei; ſed quòd omninò abſconditum ſit à cogitatione humana, cur Deus, cùm poſſet utrique dare gratiam efficacem, id eſt, talem, quæ infallibiliter moveret voluntatem, uni tamen det, & alteri neget. Vel (ut utar verbis D. Aug. de Spir. & lit. c. 34.) *Cur illi ita ſuadeatur, ut perſuadeatur, illi autem non ita.* Illum ſic vocet Deus, *Quomodo* (ut loquitur idem Sanctus lib.1.ad Simplic. q.2.) *ſcit ei congruere, ut vocantem non reſpuat,* iſtum autem non ſic, tametſi utrumque poſſet ſic vocare. Hæc eſt profunditas, quam ne ipſe quidem Aug. potuit ſcrutari, ſed exclamavit cum Apoſtolo, ut alibi vidimus: *O altitudo divitiarum &c. &, Nunquid iniquitas apud Deum?* 213. *Quarè Apoſt. eruperit in has voces:* O altitudo *&c.*

Undè (quod benè notandum eſt) Aug. d. cap.6. non dicit ſimpliciter & abſolutè, nihil aliud eſſe, niſi unum voluiſſe, alterum noluiſſe à caſtitate deficere; ſed nihil aliud apparere: nam, ut ſup. dixi ex Aug. lib. de Prædeſt. SS. gratia efficax occultè humanis cordibus divinâ largitate tribuitur, ita ut eam non cognoſcamus, niſi ex ipſa voluntate, quæ ei infallibiliter connectitur. Rogas: quomodò ergo in utroque eadem corporis & animæ affectio, ſi in uno fuerit gratia efficax, in alio tantùm ſufficiens? Dicerent Aliqui: has gratias non differre niſi connotato, atque adeò eſſe eandem affectionem entitativè. Alii reſpondent: Aug. intelligi poſſe de eadem conſtitutione ſeu affectione naturali; vel ſi de ſupernaturali, quòd interpretari debeat, tantùm loqui de auxilio ſufficienti, ſive de eadem affectione in actu primo: 214. *Expenduntur verba S. Aug.* *Occurritur objectioni.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

mo : nam gratia efficax pertinet potiùs, ut ipſis videtur, ad actum ſecundum, qui ei, ut ſtatim dixi, infallibiliter connectitur. Cur autem hanc gratiam uni det, & non alteri, *O altitudo.*

215. *Alia objectio.* Contrà : hæc altitudo non magis ſpectat ad hominem lapſum, quàm integrum: nam (teſte Aug. lib. 14. de Civit. c. 27.) *Quis audeat credere aut dicere, ut neque Angelus, neque homo caderet, in Dei poteſtate non fuiſſe?* Cur ergo unum Angelum à lapſu præſervaverit; alium verò non, nunquid altitudo? Planè. *Solvitur.* Sed nunquid Apoſtolus ullibi ſignificat, illam altitudinem ſolùm ſpectare ad hominem lapſum? Non arbitror, tametſi de illo dumtaxat ibi loquatur.

216. *Evaſio.* Alii clamant, ſed noli eos audire. Et quid clamant? In myſteriis divinæ electionis nos non ſolùm miramur, cur ille conſentiat, iſte diſſentiat; ſed etiam illud in primis, cur ille conſentire poſſit, iſte non poſſit, juxta illud Chriſti Joan. 6. v. 44. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater meus, qui miſit me, traxerit eum.* Cur autem Pater ſic trahat unum, ut poſſit venire, alium verò non ſic, nonne & hoc altum eſt? *Occluditur.* Reſpondeo: Auguſtinum non mirari, cur illi ita ſuadeatur, ut poſſit credere, alii non ita: ſed, ut patet ex verbis ejus ſup. relatis: *Cur illi ita ſuadeatur, ut perſuadeatur*, id eſt, ut credat; alii autem non.

217. *Script. Ioan 6.* Nemo poteſt venire &c *intelligitur de actu.* Ad dictam Scripturam dico : per poſſibilitatem intelligi ipſum actum, ut colligitur ex præcedentibus: nam v. 37. dicit Chriſtus: *Omne, quod dat mihi Pater, ad me veniet, & eum, qui venit ad me, non ejiciam foras.* Quando ergo v. 44. ait: *Nemo poteſt venire ad me &c.* idem eſt acſi diceret: Nemo venit ad me &c. Undè ſubditur v. 45. *Omnis qui audivit à Patre, & didicit venit ad me.* Omitto; quòd etiam ipſa poſſibilitas ſit à Patre, ſcilicet per gratiam ſufficientem, quæ eſt vera interna gratia voluntatis per Chriſtum Jeſum Dominum noſtrum.

218. *Iuſtus non omni momento, quo tentatur, habet gratiam, quâ vincat tentationem.* S. Aug. Sed nunquid ipſo momento, quo tentatur juſtus, perpetuò habet ad manum opem, ſi velit, divinam, quâ tentationem vincat? Reſpondetur negativè; ſed benè quâ poſſit vincere; aliàs non peccaret tentationi cedendo, dicente D. Aug. lib. 3. de Libe. arbitr. c. 18. *Hoc breviſſimum tene : quæcumque iſta cauſa eſt voluntatis, ſi non ei poteſt reſiſti, ſine peccato ei ceditur : ſi autem poteſt, non ei cedatur, & non peccabitur.* Aſt nunquid poteſt? *Habet quâ poſſit vincere.* Procul dubio, reponit quiſpiam, ſi velit & conetur ſecundùm præſentes, quas habet vires; velit, inquam, & conetur ſicut oportet, juxta ſupradicta ex Aug. de Natur. & grat. c. 17. jam autem non omnis juſtus, ut docet experientia, conatur aut vult ſicut oportet; ergo neque poteſt conari aut velle; faceret enim ſi poſſet; non ergo poteſt, cùm non faciat.

219. Verùm quis non videt, hìc peti principium? Hoc enim eſt quod quæritur; an homo poſſit aliquid facere potentiâ proximâ & antecedente, quod non facit, ſive quod non poteſt facere potentiâ conſequente. Fateor itaque, homines non ſemper velle & conari, ſicut oportet, & ideò non ſemper obtinere gratiam efficacem, vel etiam ſufficientem proximam; verùm tunc non conantur ſecundùm præſentes, quas habent vires; nam poſſent conari & velle ut oportet, & ex defectu voluntatis, non gratiæ, provenit, quòd non faciant. Deinde: non dicimus nos, quòd, qui conatur ſecundùm præſentes, quas habet vires, ſemper adimpleat præcepta; ſed quòd poſſit implere proximè vel remotè, orando ſcilicet pro ulteriori gratia, quâ proximè poſſint. Putamus quippe poſſibilitatem etiam proximam multoties ſeparari ab ipſo actu; poſſibilitatem, inquam, antecedentem; nam conſequens nunquam ſeparatur: ſuppoſito etenim quòd actus ſit, impoſſibile eſt, eum non eſſe, ut patet ex alibi dictis, & adhuc patebit ex infrà dicendis.

Cæterùm juxta hìc dicta intelligi debet, quod ait S. Aug. lib. 2. de Peccat. merit. c. 19. in fine: *Nec ideò tamen in iiſdem vitiis nobis permanendum eſſe exiſtimemus; ſed adversùs ipſam maximè ſuperbiam, propter quam in eis humiliamur, & nos vigilanter conemur, & ipſum deprecemur ardenter, ſimul intelligentes, & quòd ſic conamur, & quòd ſic deprecamur, dono illius nos habere: ut in omnibus non ad nos reſpicientes, ſed ſurſum cor habentes, Domino Deo noſtro gratias agamus, & , cum gloriamur, in illo gloriemur.* Conſimiliter loquitur lib. de Dono perſever. c. 23. ibi: *Non oraret Eccleſia, ut daretur infidelibus fides, niſi Deum crederet & averſas & adverſas hominũ ad ſe convertere voluntates: nec oraret Eccleſia, ut perſeveraret in fide Chriſti, non decepta vel victa tentationibus mundi, niſi crederet Dominum ſic in poteſtate habere cor noſtrum, ut bonum, quod non tenemus niſi propriâ voluntate; non tamen teneamus, niſi ipſe in nobis operetur & velle.*

*Nam ſi hæc ab ipſo quidem poſcit Eccleſia; ſed à ſeipſa ſibi dari putat, non veras ſed perfunctorias orationes habet, quod abſit à nobis. Quis enim veraciter gemat deſiderans accipere, quod orat à Domino, ſi hoc à ſeipſo ſe ſumere exiſtimet? Præſertim quoniam* quid oremus ſicut oportet neſcimus, ſed ipſe Spiritus, *ait Apoſtolus* (Rom. 8. v. 26.) interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. *Qui enim ſcrutatur corda, ſcit, quid ſapiat Spiritus, quia ſecundùm Deum interpellat pro ſanctis. Quid eſt,* ipſe Spiritus interpellat, *niſi interpellare facit gemitibus inenarrabilibus, ſed veracibus, quoniam veritas eſt ſpiritus?* Huculſque D. Aug.

Et ſexcenta ſimilia poſſent afferri; ſed nihil probant contra noſtram Concluſionem, ut conſideranti palam eſt: loquitur enim S. Doctor de gratia efficaci, quæ non ſolùm dat poſſe, ſed etiam velle & agere: Concluſio autem noſtra intelligitur de gratia ſufficienti, quæ ne Judæis quidem defuit, ut probatur ex Act. 7. v. 51. *Vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis.* Et Iſaiæ 5. v. 4. *Quid eſt, quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci? An quòd expectavi, ut faceret uvas, & fecit labruſcas?*

Porrò quomodò poterat expectare uvas bonorum operum, ſi non dederat eis internâ gratiam voluntatis ſufficienté ad eas proferendas? Aut quâ ratione rectè objurgantur Judæi, quòd reſi-

reſiſtebant Spiritui ſancto, ſi non habebant auxilium ſufficiens ad non reſiſtendum? Si non inſpirabantur à Spiritu ſancto inſpirationes bonæ ac deſideria?

*Reſponſio Adverſariorum.*

223. Eatenus (inquiunt Adverſarii) reſiſtebant Spiritui ſancto, quatenus ejus doctrinæ foris inſonanti, & in Scripturis loquenti reſtiterunt.

*Rejicitur Herinx*

Sed contrà: ex hoc ſolo, niſi cor tangatur (inquit Herinx Epiſc. 2. part. diſp. 1. de Grat. n. 17. prioris editionis) Spiritus ſanctus in audiente nihil operatur; ubi autem nihil operatur, ei nec reſiſtitur, nec obeditur. Deinde: loquitur de reſiſtentia ex duritie cordis oriunda; hæc autem durities circà ea primariè verſatur, quibus ipſum cor movetur & afficitur, cujuſmodi ſunt internæ vocationes Spiritûs ſancti. Ita Illuſtriſſimus Iprenſis.

*Vocatio electorum diſtinguitur à vocatione Judæorum ex S. Aug.*

224. Audite nunc D. Aug. de Prædeſt. SS. c. 16. in principio: *Vocat Deus Prædeſtinatos multos filios ſuos, ut eos faciat membra prædeſtinati unici filii ſui, non eâ vocatione, quâ vocati ſunt, qui noluerunt venire ad nuptias: illa quippe vocatione & Iudæi vocati ſunt, quibus Chriſtus crucifixus ſcandalum eſt, & Gentes, quibus Chriſtus crucifixus ſtultitia eſt.* Ubi expreſsè diſtinguit vocationem prædeſtinatorum, quæ eſt gratia efficax, ut ex Sect. ſequenti clariùs apparebit, à vocatione Judæorum, quæ reſpectu multorum ſolùm ſufficiens fuit, quâ potuiſſent venire ad nuptias, ſed noluerunt.

*Quare Judæi non poterant credere.*

225. Quod ergo de Judæis dicitur Joan. 12. v. 39. *Propterea non poterunt credere, quia iterum dixit Iſaias* (cap. 6.) *Excæcavit oculos eorum,* intellige de impoſſibilitate conſequenti: nam ſequitur: *Ut non videant oculis* (non dicitur, ut nequeant videre) *& non intelligant corde, & convertantur, & ſanem eos.* Hinc Matth. 13. Chriſtus ait diſcipulis ſuis v. 13. *Ideò in parabolis loquor eis* (Judæis) *quia videntes non vident, & audientes non audiunt, neque intelligunt. Et adimpletur in eis prophetia Iſaiæ dicentis: Auditu audietis, & non intelligetis, & videntes videbitis, & non videbitis. Incraſſatum eſt enim cor populi hujus & auribus graviter audierunt, & oculos ſuos clauſerunt, ne quando videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, convertantur, & ſanem eos.* Porrò quis non videt, ſi tamen habeat oculos apertos ad videndum, hic Judæis non negari poſſibilitatem ad credendum, ſed dumtaxat ipſum actum fidei.

226. Confirmatur ex Joanne 12. v. 37. *Cum autem tanta ſigna feciſſet* (Jeſus) *coram eis* (Judæis) *non credebant in eum* (ergo non poterant credere, negatur Conſequentia) *ut ſermo Iſaiæ Prophetæ impleretur: Domine quis credidit auditui noſtro?* Ergo quod ſequitur: *Propterea non poterant credere,* intelligendum eſt, nolebant credere, juxta illud D. Aug. tract. 53. in Joan. *Quarè autem non poterant* (credere) *ſi à me quæratur, citò reſpondeo, quia nolebant.* Et ideò verè peccaverunt peccato infidelitatis, dicente Chriſto Joan. 15. v. 22. *Si non veniſſem, & locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent* (ſcilicet infidelitatis) *nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo.*

*Verè peccaverunt peccato infidelitatis.*

227. Stabilita poſſibilitas mandatorum ſervandorum excludit peccandi neceſſitatem à Manichæis aſſertam. Hi ſtatuebant duas in homine animas, bonam unam, malam alteram. Inter has ſtatuebant acrem luctam, in qua perſæpè caro ſuperior evadat, animamque tanta neceſſitate ad peccandum abripiat, ut reluctari non poſſit. *Hoc nos dicimus* (ajebat Fortunatus apud Aug. diſp. 2. cont. Fortun.) *quòd à contraria natura anima cogatur delinquere.* Coactio hæc ſecundùm ipſos non excludebat conſenſum voluntatis. *Fateris,* ait S. Aug. cont. Secundin. c. 18. *eam naturam, quam bonam eſſe dicis, malo conſentiendo malè facere: hoc eſt voluntate peccare.* Igitur mala anima cogit bonam ad peccatum tam efficaciter perſuadendo, ut bona ſuperare nequeat, ſed ſimplici neceſſitate conſtringatur.

*Hæreſis Manichæorum, duas animas ponentium. S. Aug.*

*Mala bonã ad peccatũ cogit.*

Hanc Manichæorum hæreſim multis libris impugnat S. Aug. id concludere intendens, quod tollat libertatẽ ad peccandum neceſſariã, & ſic peccatũ excludat. Lib. de duabus animabus c. 11. peccatũ definit: *Voluntas retinendi, vel conſequendi, quod juſtitià vetat, & unde liberum eſt abſtinere.* Mox addit: *Neminem vituperatione ſuppliciove dignum, qui aut id velit, quod juſtitia velle non prohibet, aut id non faciat, quod facere non poteſt.* Clariùs c. 12. ubi cum ſtatuiſſet, convenire ſibi cum Manichæis: *Animas aliquas divina lege judicioque damnari:* probat malam non poſſe damnari: *Quia peccati reum teneri quemquam, quia non fecit, quod facere non potuit, ſummæ iniquitatis eſt & inſaniæ. Quamobrem illæ animæ quidquid faciunt, ſi naturâ, non voluntate faciunt, id eſt, ſi libero ad faciendum & ad non faciendum motu animi carent, ſi denique abſtinendi ab opere ſuo poteſtas nulla conceditur, peccato earum teneri non poſſumus.* Tum pergit: *Relinquitur, ut quoniam concedunt eſſe peccata, non inveniant, quibus ea tribuant, niſi bono generi animarum: peccant tamen* (ex Manichæorum ſententia) *etenim mali commixtione coguntur.* 228.

*S. Auguſt. hanc expugnat.*

*quia ſic tollitur peccatum.*

Hoc mox refellit: *Si ita coguntur, ut reſiſtendi poteſtas nulla ſit, non peccant.* Nec diſtinguit inter naturam integram & lapſam. Æquè generaliter loquitur diſp. 1. contra Fortun. *Quæro abs te, ſecundùm eam lectionem, quæ lecta eſt, quomodò habeamus peccata, ſi natura contraria cogit nos facere, quod facimus: qui enim cogitur neceſſitate aliquid facere, non peccat.* Ibidem inducit animam damnatam, ita de Deo conquerentem: *Quid enim peccavi? quid commerui? quid me expuliſti de regnis tuis, ut contra neſcio quam gentem pugnarem? depreſſa ſum, permixta ſum, corrupta ſum, defecta ſum; non eſt mihi ſervatum liberum arbitrium. Tu noſti neceſſitatem, quâ preſſâ ſum.* 229.

*Tam in ſtatu naturæ lapſæ, quàm integræ.*

Manichæus quidam his reſpondit, ut refert Aug. l. cont. Secund. c. 12. hâc formâ. *Ponis . . . in Epiſtola, & dicis de anima, quod carnis permixtione ducatur ad peccatum, non propria voluntate. atque ibi ſtatim credo cum videres ſi ita eſt, ſubveniendum eſſe ab omnipotente Deo prorſus omni animæ, nullamque omnino debere damnari, quoniam non voluntate peccaret, quo conſtituto, everteretur ſententia, quam Manichæus de ſuppliciis animarum, etiam de lucis parte venientium, terribiliter perſonat: Vigilantiſſimè ſubjeciſti dicens: at ſi, cum ſeipſam cognoverit, conſentiat malo, & non ſe armet* 230.

*Ponit Reſponſionem Manichæi.*

*contra inimicum, voluntate ſua peccavit.* Hanc reſponſionem S. Aug. hoc dilemmate refellit: anima bona vel cogitur ad conſenſum ab alia natura, vel non. Si non, *Quæro igitur*, inquit c.19. *unde habeat illam conſenſionem malam, nulla contraria cogente natura? Si autem cogitur conſentire, ita ut non ſit in ejus poteſtate aliter facere, non ergo, ut dicebas, voluntate peccat, quando non voluntate conſentit . . . . ſi autem cogitur, cedere potiùs, quàm conſentire dicenda eſt.* Adde quod habet l.3. de lib. arb. c.18. *Reminiſcere ſuperiorum, quæ à nobis tam multa de peccato & voluntate libera dicta ſunt. Sed ſi laborioſum eſt omnia mandare memoriæ, hoc breviſſimum tene: quæcumque iſta cauſa eſt voluntatis, ſi non ei poteſt reſiſti, ſine peccato ei ceditur. Si autem poteſt, non ei cedatur, & non peccabitur. An fortè fallit incautum? ergo caveat, ne fallatur. An tanta fallacia eſt, ut omnino caveri non poſſit? Si ita eſt, nulla peccata ſunt:* nequidem in ſtatu naturæ lapſæ, de quo quoque Auguſtinum agere patet, quia improbat facta ex ignorantia & concupiſcentia. Vide ſupra Concl.2.

*Soluit eamdem.*

231. *Nec erit peccatum propriè dictum in ſententia Manich.* S. Aug.

Nec dicas: Aug. tantùm vult, quod non tam propriè ſint peccata, quàm peccatum Adami, perfectè liberum; nam l.1. de nupt. & Concup. c.23. inquit: *Ipſa quidem concupiſcentia jam non eſt peccatum in regeneratis, quando illi ad illicita opera non conſentitur, atque, ut ea perpetrent, à Regina mente membra non dantur: ut, ſi non fit, quod ſcriptum eſt* (Exodi 20.) Non concupiſces: *fiat ſaltem, quod alibi legitur* (Eccleſ.18.) Poſt concupiſcentias tuas non eas. Ut autem doceat, quo ſenſu peccatum ſit, ſubjungit: *Vocatur peccatum, quia peccato facta eſt, cùm jam in regeneratis non ſit ipſa peccatum*, niſi impropriè tantùm. Quoties autem concupiſcentia deliberata eſt, peccatum quidem propriè dictum eſt, ſed neceſſitas conjuncta impropria tantùm & moralis neceſſitas eſt, ſeu magna difficultas. Hìc meritò notabis, quòd, dum Aug. quædam neceſſitate facta dicit peccata, tum ponit exemplum in Apoſtolo dicente: *Non quod volo bonum* &c. Conſtat autem ex confirmatione Apoſtoli in gratia, poſt raptum ſignanter, peccatum ſeu malum hoc Apoſtoli non fuiſſe propriè peccatum: l.1. Retract. c.15. ait Aug. *Poteſt etiam putari falſa eſſe iſta ſententia, quâ diximus, nuſquam niſi in voluntate eſſe peccatum; quia dixit Apoſtolus* (Rom.7.) Si autem quod nolo, hoc facio, jam non ego operor illud; ſed id, quod habitat in me peccatum. *Hoc enim peccatum uſque adeò non eſt in voluntate, ut dicat: quod nolo hoc facio. Quomodò ergo nuſquam eſt, niſi in voluntate peccatum? Sed hoc peccatum, de quo ſic locutus eſt Apoſtolus, ideò peccatum vocatur, quia peccato factum eſt, & pœna peccati eſt, quandoquidem hoc de concupiſcentia carnis dicitur; quod aperit in conſequentibus dicens*, Scio quia non habitat in me, hoc eſt, in carne mea bonum; velle enim adjacet mihi, perficere autem bonum non.

232. *Improbatur concupiſcentia tamquã*

Quæres cur ergo concupiſcentia neceſſaria improbatur & corrigenda judicatur? Quia vulnus peccato factum, & pœna peccati eſt. *Cur non potiùs*, ait Aug. *malum vocetur* (concupiſcentia) *quod fateris eſſe frænandum? Cur quæſo frænandum, niſi ne noceat? Niſi ne ad illicita, quæ deſiderat, relaxetur? & utique deſiderium mali malum eſt* (pœnale non morale) *etiamſi ei non conſentiatur.* Procedit ergo concupiſcentia à natura vitiata & vulnerata, non ab inſtituta: quæ ſi neceſſitaret ad peccandum peccato propriè dicto; hoc Deo potiùs, quàm homini tribuendum eſſet: & in hoc non eſſet Deus laudandus, ut laudandum aſſerit Aug. ſed potiùs videretur culpandus. Manichæi, ut refert Aug. l.1. Retrac. c.9. *Negant ex libero voluntatis arbitrio mali originem duci, & Deum, ſi ita eſt, creatorem omnium naturarum culpandum eſſe contendunt.* Ad hoc probandum dicebant, ignorantiam & concupiſcentiam nobis inſeri à natura. S. Aug. hunc errorem refutat in libris de lib. arb. hoc unum concludens, mali originem eſſe à libero arbitrio, neque tamen inde ſequi: Deum non laudandum, ſed culpandum, etiam dato gratis; quòd ignorantia & concupiſcentia eſſent primordia hominis naturalia. *Secundùm utrumque ſenſum*, ait l. de dono perſeverantiæ c.12. *reſiſti Manichæis, ſive ſupplicia, ſive primordia naturæ ſint ignorantia & difficultas, ſine quibus nullus hominum naſcitur.* Laudandum Deum probat l.3. de lib. arb. c.20. quia anima *facultatem habet, ut adjuvante Creatore ſeipſam excolat, & pio ſtudio poſſit omnes acquirere & capere virtutes, per quas & à difficultate cruciante, & ab ignorantia cæcante liberetur.*

Ratio igitur laudandi Deum eſt gratiæ elargitio. Unde c. eod. 20. *Etiam in ipſa ignorantia & difficultate liberam voluntatem petendi, quærendi & conandi non abſtulit, daturus petentibus, demonſtraturus quærentibus, pulſantibus aperturus.* Dixerat anteà eodem c.20. *Caro . . . . venientibus ad ſe animis hanc ignorantiam & difficultatem facit, quæ neque his, neque Creatori tamquam culpanda tribuatur: dedit enim ille & facultatem benè operandi in laborioſis officiis, & viam fidei in oblivionis cæcitate.* c.22. *Quòd ergò ignorat, quid ſibi agendum ſit, ex eo eſt, quod nondum accepit: ſed hoc quoque accipiet; ſi hoc, quod accepit, benè uſa fuerit. Accepit autem, ut piè & diligenter quærat, ſi velit.* C.20. *Quòd ſi agere noluerit, peccati rea jure tenebitur, tamquam quæ non benè uſa ſit ea facultate, quam accepit. Quàmquam enim in ignorantia & difficultate nata ſit, non tamen ad permanendum in ea, quod nata eſt, aliqua neceſſitate comprimitur.* Unde concluditur c.22. *Si ignorantia veri, & difficultas recti naturalis eſt homini . . . nullus hanc ex initio naturali rectè arguit. Sed ſi proficere noluerit, aut à profectu retrorſum relabi voluerit, jure meritoque pœnas luet. Creator verò ejus ubique laudatur: vel quòd eam ab ipſis exordiis ad ſummi boni capacitatem inchoaverit, vel quòd ejus profectum adjuvet, vel quòd impleat proficientem atque perficiat.*

Cauſa igitur laudandi Deum eſt, quòd omnes homines gratiâ ſuâ ita adjuvet, ut à peccato omnino abſtinere poſſint & vincere ignorantiam & difficultatem vincibilem. Peccantes quoque ex ignorantia & concupiſcentia vincibili rectè & juſtè puniet. C.20. *Ignorantia verò*

*&*

*& difficultas ſi naturalis eſt, inde incipiat anima proficere, & ad cognitionem & requiem, donec in eâ perficiatur vitâ beatâ, promoveri. Quem profectum in ſtudiis optimis atque pietate, quorum facultas ei non negata eſt, ſi propria voluntate neglexerit, juſtè in graviorem, quæ jam pœnalis eſt, ignorantiam difficultatemque præcipitatur*, quæ voluntaria ſit, & imputabilis ad culpam. Ideò ſupponit S. Aug. etiam in Hypotheſi data, aliquos mortaliter peccaturos, ideoque pœnis æternis cruciandos. Nequidem igitur in Manichæorum Hypotheſi ſubeſt neceſſitas peccandi.

235. *Pelagiani negant peccatum originale.*

Ex definitione peccati ſupra, n.228. Pelagiani anſam ſumpſerunt oppugnandi peccatum originale, à quo non erat nobis liberum abſtinere; idem de concupiſcentia. Negarunt & neceſſitatem gratiæ ex eo, quòd Aug. contra Manichæos agens non meminerit gratiæ; & adſcripſerunt opera bona libero arbitrio. Ita refert S. Aug. l.9. Retract. c.9. *In his atque hujuſmodi verbis meis quia gratia Dei commemorata non eſt, de qua tunc non agebatur, putant vel putare poſſunt Pelagiani, ſuam nos tenuiſſe ſententiam, ſed fruſtra hoc putant. Voluntas quippe eſt, quâ & peccatur, & rectè vivitur . . . . voluntas ergo ipſa niſi Dei gratiâ liberetur à ſervitute, quâ facta eſt ſerva peccati, & ut vitia ſuperet adjuvetur: rectè pièque vivi à mortalibus non poteſt.* Aug. pro manutenentia definitionis ſuæ, diſtinguit tria: peccatum tantùm, pœnam peccati tantùm, peccatum & pœnam peccati ſimul. Peccata ab homine lapſo deliberatè commiſſa, & ſignanter Adami prævaricationem vocat peccata tantùm. Et hæc ſola definitione ſuâ voluit comprehendere. Peccatum originale ab Adæ poſteris contractum, & concupiſcentiam vocat peccatum & pœnam peccati. Ipſum audite l.1. operis perfecti contra Jul. n.43. *Hìc peccatum definitum eſt, quod tantummodo peccatum eſt, non quod etiam pœna peccati; de hoc quippe agendũ fuit, quando mali origo quærebatur, quale commiſſum eſt à primo homine ante omnes homines malum.* Et n.57. reſpondet: *Ipſe eſt Adam, quem noſtra illa definitio, quæ tibi placuit, intuebatur... tria iſta diſcernas, & ſcias aliud eſſe peccatum, aliud pœnã peccati, aliud utrumque: id eſt, ita peccatum, ut ipſum ſit etiam pœna peccati. Intelligis quid horũ trium pertineat ad illam definitionem, ubi voluntas eſt agendi, quod juſtitia vetat, & unde liberum eſt abſtinere: peccatum namque iſto modo definitum eſt, non pœna peccati, non utrumque: habent autem tria iſta genera etiam ſpecies ſuas.*

*Opera bona libero tribuunt arbitrio. S. Aug.*

*Aug. diſtinguit tria, peccatum tantùm, pœnam peccati tantùm, & utrumque.*

236. *Exempla horũ trium allegat.*

Pergit ad exempla: & quidem *Primi generis in Adam ſine ullo modo quæſtionis occurrrit. Multa quippe ſunt, quæ agunt homines mala, quibus eis liberum eſt abſtinere; ſed nulli tam liberum eſt, quàm illi fuit, qui Deo ſuo, à quo erat conditus rectus, nullo prorſus vitio depravatus adſtabat. Secundi autem generis, ubi eſt tantummodò pœna peccati, exemplum in eo malo eſt, quod quiſque ex nulla parte agit, ſed tantummodò patitur: velut cum pro ſuo ſcelere, qui peccavit, occiditur, ſive aliâ corporis pœnâ quâcumque cruciatur. Tertium vero genus, ubi peccatum ipſum eſt & pœna peccati, poteſt intelligi in eo qui dicit:* Quod nolo malum hoc ago . . . . *Proinde originale peccatũ nec ad illud pertinet, quod primo loco poſuimus, ubi eſt voluntas malum operandi, undè liberum eſt abſtinere, alioquin non eſſet in parvulis, qui nondum voluntatis utuntur arbitrio: nec ad illud, quod ſecundo commemoravimus, de peccato enim nunc agimus, non de pœna, quæ non eſt peccatum, quàmvis peccati merito ſubſequatur: nam quidem patiuntur & parvuli, quia ineſt eis corpus mortuum propter peccatum, non tamen mors corporis ipſa peccatum eſt, vel corporis quicumque cruciatus; ſed pertinet originale peccatum ad hoc genus tertium, ubi ſic peccatum eſt, ut ipſum ſit & pœna peccati . . . . Origo tamen etiam hujus peccati deſcendit à voluntate peccantis; fuit enim Adam, & in illo fuimus omnes: periit Adam, & in illo omnes perierunt.* Ecce quàm clarè S. Aug. peccatum originale & concupiſcentiam excludat à ſua definitione, ex qua Pelagiani conabantur ea impugnare. Ecce quàm conſtet ſibi S. Aug. in requirendo libertatem etiam ad peccatum hominis lapſi: quàmquam ad bonum gratiâ divinâ liberum arbitrium debeat adjuvari.

*Originale peccatũ pertinet ad tertium: & hoc non reſpicit definitio Auguſtini.*

Non acquieſcit Julianus, ſed dicit n.105. *Illud quod eſſe peccatum ratio demonſtrat . . . ſecundùm definitiones tuas, jam nec in moribus invenitur.* Aug. reſpondit, poſtquàm multis hanc calumniam repuliſſet: *Cùm igitur & illa fateamur in hominibus eſſe peccata, quæ committuntur non neceſſitate, ſed voluntate, quæ tantummodò peccata ſunt, unde ab eis liberum eſt abſtinere: & peccatis de ignorantiæ vel affectionum neceſſitate venientibus, quæ jam non ſolùm peccata, verùm etiam pœnæ ſunt peccatorum, plenum ſit genus humanum, quomodo dicis definitionibus noſtris peccatum nec in moribus inveniri? ſed quod non vultis audite: à peccatis omnibus, ſive originalibus ſive mortalibus, vel quæ facta ſunt, vel ne fiant, non liberat niſi gratia Dei per Ieſum Chriſtum.* Maneat ergò, tam ad peccatum hominis lapſi quàm integri requiri libertatem. 237.

*A cæteris liberum eſt abſtinere.* S. Aug.

Sed nunquid etiam à peccatis, quæ ab hominibus ignorantiâ vel concupiſcentiâ implicatis deliberatè committuntur, liberum eſt abſtinere? Nunquid hic neceſſitas peccandi? Videtur affirmare Aug. ſuprà n.105. reſpondens Juliano: *Multùm erras, qui vel neceſſitatem nullam putas eſſe peccandi, vel eam non intelligis illius peccati eſſe pœnam, quod nulla neceſſitate commiſſum eſt. Si enim neceſſitas nulla peccandi eſt . . . . quid patiebatur quæſo, qui ſecundùm veſtrum ſenſum tanta mole malæ conſuetudinis premebatur, ut diceret:* Non quod volo facio bonum, ſed quod nolo malum hoc ago? *Deinde cogitare te exiſtimo, quid appetendum, quid vitandum ſit in agenda vita, quanto labore diſcatur. Qui autem neſciunt ipſam boni appetendi, malique vitandi ignorantiam, patiuntur peccandi neceſſitatem. Neceſſè eſt enim ut peccet, qui neſciendo quid facere debeat, quod non debeat facere facit, de quo genere malorum Deus rogatur, ubi dicitur:* Delicta juventutis & ignorantiæ meæ ne memineris. *Quod genus delictorum ſi non imputaret Deus juſtus, non ea ſibi dimitti poſceret homo fidelis.* De ignorantia quoque dixerat n.47. quòd pertineret ad tertium genus, ubi peccatum ipſum eſt, & pœna peccati. Verba Aug. ſunt: 238.

*Etiam à peccatis ignorantiæ & concupiſciæ.* S. Aug.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſunt: *Adhoc pertinent etiam omnia, quæ per ignorantiam cum aguntur mala, non putantur mala, vel etiam putantur bona: cæcitas enim cordis, ſi peccatum non eſſet, injuſtè argueretur: arguitur autem juſtè ubi dicitur: Phariſæe cæce, & aliis plurimis divinorum eloquiorum locis, eademque rurſus cæcitas, ſi peccati pœna non eſſet, non diceretur*: Excæcavit enim illos malitia illorum.

239. *Peccatum aliquando ſumitur materialiter, aliquando formaliter.*

Antequam oſtendamus, quænam peccandi neceſſitas proveniat à concupiſcētia & ignorantia, nota primò peccatum non ſemper uſurpari pro formali, ſeu pro culpa & demerito; ſed aliquādo pro materiali tantùm, ſeu pro vitio. Nota ſecundò, neceſſitatem aliam eſſe ſtrictè dictā, quæ poteſtatē ad utrumlibet adimit; aliam latè dictam, & moralem, quæ eſt magna vel maxima agendi difficultas. His notatis: ex ignorantia & concupiſcētia fluit neceſſitas propriè dicta peccandi impropriè & materialiter tantùm, quatenus ex ignorantia invincibili peccata materialia contra legem fiunt, & ex concupiſcentia motus indeliberati neceſſariò exſurgunt, qui impropriè peccata ſunt.

*Neceſſitas alia propria, alia impropria.*

Sic intellige Auguſtinum, dum negat concupiſcentiæ motus indeliberatos in regenerátis eſſe peccata, nempe propriè dicta: & dum dicit, non tibi deputatur ad culpā quod invitus ignoras. Præterea ex ignorantia & concupiſcētia fluit neceſſitas impropriè dicta peccandi propriè & formaliter, quatenus concupiſcentia magnâ vehementiâ pertrahit ad conſenſum deliberatum. Comparat enim S. Aug. peccandi neceſſitatem, quæ ex concupiſcentia profluit, illi, quæ ex conſuetudine manat, quæ abſque dubio non eſt niſi moralis, ſive magna difficultas.

240. *Sola moralis neceſſitas oritur à concupiſcentia.* S. Aug.

Ita ex ipſis Juliani verbis ſe explicat ſupra n. 105. inquiens: *Tu quoque ipſe .... ex affectionibus atque paßionibus animi dicis evenire hominibus affectionalem qualitatem, atque ita inhæreſcere, ut aut magnis molitionibus aut nullis omnibus ſeparetur. Quiſquis ergo ea timiditate peccaverit, quæ ab illo non poteſt* moraliter *ſeparari; quid aliud, quam neceßitate* morali *peccabit. ... Qui enim ut iſtam patiatur neceßitatem, non niſi peccandi conſuetudine premitur, procul dubio priùs, quàm peccaret, nondum neceßitate conſuetudinis premebatur.* Subdit ſtatim ſimilem moralem neceſſitatem peccandi eſſe in nobis, ob *illud primi hominis ineffabiliter grande peccatum.* Similiter loquitur Diſp. 2. Cont. Fortun. poſtquam Adam *Liberâ ipſe voluntate peccavit, nos in neceßitatem præcipitati ſumus, qui ab ejus ſtirpe deſcendimus. Poteſt autem unuſquiſque noſtrûm mediocri conſideratione invenire verum eſſe, quod dico. Hodie namque in noſtris actionibus, antequam conſuetudine aliqua implicemur, liberum habemus arbitrium faciendi aliquid vel non faciendi. Cum autem iſtâ libertate fecerimus aliquid, & facti ipſius tenuerit animum pernicioſa dulcedo & voluntas, eadem ipsâ conſuetudine ſic implicatur, ut poſtea vincere non poßit, quod ſibi ipſa peccando fabricata eſt. Videmus multos jurare nolle: Sed quia jam conſuetudinem lingua tenuit, non poſſe refrænare, quin ea exeant de ore ipſorum, quæ non poſſumus dicere ad malam ſtirpem non pertinere.*

*Vti à conſuetudine v.g. jurandi.*

241. S. Thomas q. 6. de malo art. unic. ad 24. occaſione verborum S. Aug. in Lib. Confeſſ. *Dum conſuetudini non reſiſtitur, fit neceßitas*, reſoluit. *Dicendum quòd conſuetudo facit neceßitatem, non ſimpliciter, ſed in repentinis præcipuè. Nam ex deliberatione quantùmcumque conſuetus poteſt contra conſuetudinem agere.* Conſonat Aug. l. 1. de Serm. Domini in monte c. 12. *Cum ſuggeſtio repetitur, major accenditur delectatio, quæ tamen adhuc multò minor eſt, quàm illa, quæ aßiduis factis in conſuetudinem vertitur, hanc enim vincere difficillimum eſt; & tamen etiam ipſam conſuetudinem, ſi ſe quiſque non deſerat, & Chriſtianam militiam non reformidet, illo duce atque adjutore ſuperabit.* Nam ut ait alibi, conſuetudinis malo difficilè reſiſtitur: & hodiè faciunt homines libera voluntate conſuetudinem, quam, cum fecerint, facilè ſuperare non poſſunt. Quemadmodum ergo conſuetudo in repentinis & indeliberatis facit neceſſitatem abſolutam, in deliberatis verò maximam nobis affert difficultatem, quæ eſt neceſſitas moralis: Sic & concupiſcentia.

Hujus difficultatis, & infirmitatis vim exprimit, cum exponens verba Apoſtoli: Ubi eſt mors contentio tua l. 83. qq. quæſt. 70. ſic ait: *Mortem ſignificari arbitror hoc loco carnalem conſuetudinem, quæ reſiſtit bonæ voluntati delectatione bonorum temporalium fruendorum. .... Hanc autem mortem peccato meruimus, quod peccatum erat ante omni modo in libero arbitrio, cum in paradiſo nullus dolor, denegata delectatione, voluntati bonæ hominis reſiſtebat: ſicut nunc verbi gratiâ, ſi quiſquam exiſtat, quem numquam delectavit venatio, omni modo liber eſt utrùm venari velit an nolit, nec eum cruciat quiſquis hoc prohibet: At ſi iſta libertate malè uſus venatus fuerit contra prohibentis imperium, paulatim ſurrepens delectatio mortificat animam, ut, ſi abſtinere velit, abſtinere abſque moleſtia & ſine angore non poßit, cum id ante tota ſanitate non ageret. Ergo aculeus mortis peccatum eſt, quo peccato facta eſt delectatio, quæ jam poßit reſiſtere bonæ voluntati, & ejus dolore cohiberi.* Neceſſitatis quoque nomine moralem tantùm intelligit l. 2. de pec. mer. c. 10. Dum ait: *Nonne ſatis apparuit, etiam illa peccata juſtè imputari, quæ non delectationis illecebrâ committuntur, ſed causâ devitandæ moleſtiæ alicujus, aut doloris aut mortis? Nam & hæc dicuntur quadam neceßitate committi, cùm omnia ſuperanda ſint amore & delectatione juſtitiæ.* En peccata propria ex neceſſitate impropria. *Poteſt etiam quod dixit & annotaſti, ſi quid invitus commiſi, ad illam vocem videri pertinere, quâ dictum eſt: non enim quod volo ago, ſed quod odi, hoc facio.* Ecce peccata impropria ex neceſſitate propria. Et l. 1. retrac. c. 15. *Peccatum autem, quod nuſquam eſt, niſi in voluntate, illud præcipuè intelligendum eſt, quod juſta damnatio conſecuta eſt, hoc eſt per unum hominem introivit in mundum, quàmquam & hoc peccatum, quo conſentitur peccato concupiſcentiæ, non niſi voluntate committatur.*

Nunquid ſaltem iguorantia legis obligantis adfert homini lapſo neceſſitatem propriam peccandi propriè? afferret, ſi ignorantia invincibilis non excuſaret agentem contra legem. Hoc autem volunt aliqui de ignorantia invincibili juris naturæ;

naturæ; quia S. Aug. contra Pelagianos docuit, eam eſſe malam, eò quòd fluat ex Adæ peccato. Secus ajunt de ignorantia facti & juris poſitivi; quia docet Aug. eam omnem culpam abſtergere. Videamus an loquantur conſequenter.

*[...]tiam naturalis.* Non agitur hìc de ignorantia negativa, ſeu ſimplici neſcientia rei, quam ſcire non tenemur, ſed de ignorantia privativa, & legis poſitæ ac obligantis. Si ignorantia invincibilis juris naturæ non excuſet agentem contra, eò quòd ignorantia hæc fluat ex Adæ culpa, & abfuiſſet in ſtatu innocentiæ, neque excuſabit ignorantia facti aut juris poſitivi; quia & hæ ignorantiæ fluunt ex Adæ culpa, & abfuerunt à ſtatu innocentiæ. Adde neque excuſabit à peccato naturalis amentia, furor, phrænesis, cæcitas, ſi, ſecus putans percutere baculo canem, hominem percutiat & occidat: hæc enim omnia ſunt pœnæ peccati originalis, & abfuiſſent à ſtatu innocentiæ, in quo natura non erat vulnerata.

244. *Si ſit invincibilis, ut ipſe putat, excuſat à peccato.* Magis conſequenter loquitur S. Aug. & alii SS. Patres, dum dicunt aliquando dari ignorantiam invincibilem ſimpliciter, non reſtringendo ad jus poſitivum aut naturale. Dum hæc datur, dicunt eam ſimpliciter excuſare à peccato. Ratio quoque cum proportione militat æqualiter, quia ſcientia omnis juris non eſt naturæ lapſæ debita (cum vulnerata ſit ignorantiæ vulnere in intellectu) neque connaturalis, ſed ſcientia juris divini poſitivi à divina promulgatione, & juris naturalis à divina illuminatione pendet. Hinc in ſtatu innocentiæ Adam caruit ignorantiâ juris naturalis & poſitivi divini ipſum obligantis: Deus enim Eccli. 17. v. 5. & 6. *Diſciplinâ intellectûs replevit illos* (primos parentes) *creavit illis ſcientiam ſpiritûs, ſenſu implevit cor illorum, & mala & bona oſtendit eis.* *Adã caruit ignorantiâ.* In ſtatu naturæ lapſæ laboramus ignorantiâ multiplici & juris naturalis & juris poſitivi, tam divini, quàm humani. Hæc ignorantia ſæpe vincibilis eſt: tumque & peccatum eſt & pœna peccati. Aliquando abſolutè vel ſaltem moraliter invincibilis, tumque tantùm impropriè peccatum eſt, propriè autem pœna peccati.

245. *SS. Aug. & Hier. de utriuſque ignorantia dimicarunt cum Pelagianis. S. Aug.* Dimicarunt cum Pelagianis S. Auguſt. & S. Hier. de juris naturalis ignorantiâ, ſed non ſolâ; etiam (ſi non potiſſimùm) dimicarunt de ignorantia juris poſitivi & facti. Pelagiani aſſerebant concupiſcentiam & ignorantiam, quam nos ipſi culpâ noſtrâ non contraximus, ſed quâcũ naſcimur, non eſſe malã, neque peccati ſuppliciũ aut pœnam: ſed naturalem tantùm defectũ. Ita teſtatur S. Aug. l. 11. de dono perſ. *Dicunt Pelagiani ignorantiam & difficultatem, ſine quibus nullus homo naſcitur, primordia, non ſupplicia eſſe naturæ.* Et l. 1. de pecc. mer. c. 36. petit. *An nullum eſt ignorantiæ malum, & ideò nec purgandum? & quid ait illa vox, Delicta juventutis, & ignorantiæ meæ ne memineris? . . . In illas igitur ignorantiæ denſiſſimas tenebras . . . . quarè, aut quando, aut unde contruſa eſt, ſi naturæ ſit hominis ſic incipere?* ita petit, & impetit Pelagianos. Imo hi aſſerebant ignorantiam & concupiſcentiam eſſe bonas. Julianus apud S. Aug. l. 3. contra Jul. c. 21. ait: *Concupiſcentiæ naturalis qui modum tenet, bono bene utitur: qui modum non tenet, bono malè utitur.* Et c. 19. idem Jul. dicebat: *Ex hoc intelligi debere perfectam ignorantiam juſtitiam nominari, quia dixit Deus ad Abimelech, qui cum Sara erat concubiturus, ignorans quòd uxor eſſet aliena: Et ego ſciebam, quia in corde mundo feciſti hoc.* *Iulian. apud Aug. dicebat concupiſcentiã & ignorantiam eſſe bonam.* Cumque S. Aug. contenderet in pueris ignorantiam eſſe malam, aliqui Pelagiani & hoc conjiciebant in negligentiam puerorum, ut iis exprobrat S. Aug. l. 1. de pecc. mer. c. 36. *S. Aug.* *Illas conſideremus tenebras mentis, utique rationalis, in quibus & Deum prorſus ignorant, cujus Sacramentis etiam, cum baptizantur, obſiſtunt. In has quæſo unde & quando ſubmerſi ſunt? itane verò eas hic contraxerunt, & in hac vita ſua jam propria, per nimiam negligentiam obliti ſunt Deum, prudentes verò & religioſi vixerunt vel in uteris matrum?* Ecce Pelagianorum doctrinã.

Econtra Aug. aſſeruit concupiſcentiam & ignorantiam eſſe mala, & peccati ſupplicia, etjam id intelligens de ignorantia pueri recèns nati, & neſcientis *Vbi ſit, quid ſit, à quo creatus, a quibus genitus ſit, jam reus delicti, necdum capax præcepti, tam profundâ ignorantiæ caligine involutus & preſſus, ut neque tanquam de ſomno excitari poſſit.* Hanc parvulorum ignorantiam eſſe peccati pœnam probat petens: *Si naturæ eſt hominis ſic incipere, & non jam vitioſa eſt iſta natura; cur non talis creatus eſt Adam? cur ille capax præcepti? &c.* Hæc cap. 36. de parvulis quoque naturâ fatuis ait l. 6. cont. Jul. c. 1. *Vnde potuerunt in tantum malum ruere, ſi divino judicio nulla origini debetur pœna vitiatæ?. . . . Nec tamen eis ſub Deo juſto, unde hoc accidere potuerit, inventurus es, ſi nulla ex parentibus trahuntur merita filiorum.* Unde contra Jul. concludit: *Itane verò tanta in parvulis mala tu, qui non invides, non vides?* En rurſus peccati ſupplicia, non peccata propriè dicta. Et c. 16. docet ignorantiam eſſe malam in quolibet baptizato dicens: *Tu autem qui putas*, quòd, ſi malum eſſet concupiſcentia, careret eà qui baptizatur, *multùm erras. Omni enim peccato caret, non omni malo. Quod planiùs ita dicitur: omni reatu omnium malorum caret, non omnibus malis. Nunquid enim caret corruptione corporis? an non eſt malum, quod aggravat animam? & erravit qui dixit, Corpus enim corruptibile aggravat animam? Nunquid caret ignorantiæ malo, per quod à neſcientibus innumerabilia perpetrantur mala? An parvum malum eſt, per quod homo non percipit, quæ ſunt ſpiritûs Dei? De baptizatis nempe dicebat Apoſtolus*: Animalis homo non percipit, quæ ſunt ſpiritûs Dei, ſtultitia eſt enim illi (1. cor. 2.) deinde concludit: *Non igitur caruerant tanto ignorantiæ malo in lavacro regenerationis, ubi tamen omnibus caruerant ſine dubitatione peccatis. Et per hoc ignorantiæ malum templo Dei, in quo habitabat ſpiritus Dei, ſtultitia erant, quæ ſunt ſpiritûs Dei*

246. *S. Aug. contendit utrãque eſſe malam,*

*Et peccati ſupplicia non peccata propriè, ſi ſint invincibilia.*

Tale ignorantiæ malum non deletur pœnitentiâ, ſed gratiâ illuminante intellectum: uti concupiſcentia ſanatur gratiâ roborante voluntatem. Hinc ſuper concupiſcentia & ignorantia non orant renati: Dimitte nobis debita noſtra; ſed da mihi Domine intellectum ut diſcam man- 247. *Vnde nec delentur pœnitentiâ ſed gratiâ ſanantur,*

data tua. Deus meus illumina tenebras meas. Quis me liberabit de corpore mortis hujus? Ter dominum rogavi, ut recederet à me. Cur ita? Quia gratia habitualis nil facit ad hæc, ſed tantùm ad remiſſionem peccatorum propriè dictorum, dicebat S. Aug. Juliano l. 6. cont. Jul. c. 23.

S. Aug. *Vtinam ipſa dona* (gratiæ actualis) *Chriſti ſaltem ita ſaperes, ut ad vincendã concupiſcentiam valere aliquid crederes. Sed ideò dicis à Iudæis fuiſſe contempta,* quòd veniam daret ille peccatis, quæ ipſi legis admonitione vitaſſent. *Quaſi hoc conferat homini remiſſio peccatorum, ut caro non concupiſcat adversùs ſpiritum.* Hoc eſt: id non confert remiſſio peccatorum ſola, ſed potiùs actualis gratia. Unde Apoſtolus dicens: Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ: *Ab hoc malo non ſe liberari clamat, niſi gratiâ Dei per Ieſum Chriſtum dominum noſtrum; nec Iudæum eſſe, nec quia peccavit, ſed ne peccet potiùs laborare.* Monet quoque S. Aug. ignorantem lib. de nat. & grat. c. 17. *Vt oret & dicat: da mihi intellectum, ut diſcam mandata tua. Aliud eſt enim non curaſſe ſcire . . . aliud intelligere velle, nec poſſe, & facere contra legem, non intelligendo quid fieri velit. Vnde admonemur à Deo petere ſapientiam, qui dat omnibus affluenter; utique his omnibus, qui ſic petunt, & tantùm petunt, quomodo & quantùm res tanta petenda eſt.*

*Actuali nempe illuminante intellectum, & roborante voluntatem.*

Plurimis quoque aliis locis S. Aug. agens de ignorantia hominis lapſi, quatenus ſupplicium & pœna peccati eſt, non poſtulat, nec poſtulandam docet gratiam remiſſivam, ſed divinæ lucis tantùm, quæ liberat ab hoc malo. Hoc ſtabilito contra Pelagianos, quòd omnis ignorantia hominis lapſi ſit pœna peccati: quæritur an etiam omnis ſit peccatum propriè dictum.

248. *Ignorantia invincibilis nullum eſt peccatum.*

Ignorantia quæcumque invincibilis, abſolutè vel moraliter, nullum eſt peccatum, ut videtur clarè patere ex auctoritatibus mox allegatis, quæ pro illa non præſcribunt pœnitentiam, ut obtineatur remiſſio, ſed diligentiam etiam extraordinariam ſuadent, ut comparetur ſcientia, & à Deo magnis precibus impetretur. Idem eſt de eo, quod ex ignorantia invincibili committitur vel omittitur contra legem, quia illud omnem ſuam libertatem & malitiam formalem accipit ab ignorantia. Ab invincibili autem & inculpabili nullam malitiam formalen accipere poteſt. S. Aug. & S. Hier. contra Pelagianos ſolùm probaverunt, ignorantiam & concupiſcentiam eſſe peccata impropriè & pœnas peccati. Si judicaſſent eſſe peccata propriè, hoc potiſſimùm probare oportuiſſet. Deinde ſolummodò culpant ignorantiam ex negligentia & vincibilem; & quidquid ex ea fit, idque in quovis jure. Ignorantiam negligentiæ expertem nullibi culpant ut peccatum, ſed deplorant ut miſeriam & malum, nunquam ex toto ſuperandum; cùm ſemper maneat in homine viatore ignorantia in intellectu, ſicut vulnera reli[illegible]. Hæc ex ipſis SS. Patribus elucidemus.

*Nec quod ex illa fit contra legẽ ignorantiã.*

249. *Facti ignorantiam excuſat S. Aug & quod ex*

Ignorantiam invincibilem facti excuſare a copula ab adulterio, docet S. Aug. l. 2. cont. Creſc. c. 25. inquirens: *Qui neſciens uxorem duxerit alienam, ex illo fit adulter, ex quo didicerit, niſi diſceſſerit.* Idem eſt de ignorantia invincibili juris poſitivi divini vel humani. Hinc in S. Scriptura & à SS. Patribus excuſantur ab infidelitatis peccato, quo non acceperunt audientiam fidei, ut alibi dictum eſt, & adhuc dicetur. Ignorantiam invincibilem veritatum ſpeculativarum dari, docet S. Aug. in pſal. 35. *Fac* (ait) *hominem quærere, quomodò ſit æqualis filius Patri; credidit, quærit intelligere, nondum poteſt. Magna enim res eſt, & vires majores deſiderat, ut poſſit capi: & eſt initium fidei quod cuſtodit animam, donec roboretur. Lacte nutritur, ut perveniat ad habitudinem & firmitatem cibi ſolidioris, ut poſſit intelligere: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Antequam hoc poſſit, nutritur in fide: & conatur intelligere ut intelligat quantùm Deus dederit.* Hanc ignorantiam non ſubjacere peccato admittunt omnes. Subdit ſtatim S. Aug. *Nunquid & hoc cum conatu intelligit, quod tibi fieri non vis, alii ne feceris? ut quia pati non vis iniquitatem, non facias iniquitatem; quia non vis pati dolum & inſidias, non inſidieris alteri.* Sentit S. Auguſt. hoc facillimè poſſe intelligi, & culpabiliter ignorari, ſi ignoretur. Duas his elucidandis deſcripſerat ignorantias: *Aliud eſt enim, quando quiſquam conatur aliquid intelligere, & per infirmitatem carnis non poteſt. Aliud autem quando perniciosiùs agit adverſùs ſeipſum cor humanum, ut, quod poſſet inteligere ſi bona voluntas accederet, non intelligat. Non quia difficile eſt, ſed quia voluntas adverſa eſt. Hoc autem fit, dum amant peccata ſua, & oderunt præcepta Dei.* Similia habes alibi.

Colligimus ex his ignorantiam juris clari, & facilis eſſe vincibilem, quia abſque conatu, vel modico conatu ſcientia haberi poteſt: ignorantiam autem juris obſcuri & difficilioris poſſe eſſe invincibilem, & eſſe talem, quoties, mediante diligenti conatu, ſcientia non, obtinetur. Putamus quoque peccata ignorantiæ, quæ contra præcepta negativa committuntur, ſemper eſſe voluntaria voluntate facti, licèt ignorantia ſit invincibilis. Ita tradit S. Aug. l. 1. retract. c. 15. *Qui neſciens peccavit, non incongruenter nolens peccaſſe dici poteſt. Quàmvis & ipſe, quod neſciens fecit, volens tamen fecit: ita nec ipſius eſſe potuit ſine voluntate peccatum . . . . Quia ergo fecit, etiamſi non quia voluit peccavit, neſciens peccatum eſſe quod fecit: ita nec tale peccatum ſine voluntate eſſe potuit, ſed voluntate facti. non voluntate peccati.* Aliud eſt de iis, quæ committuntur contra præcepta affirmativa. Varii docent nequidem adultos infideles laborare igorantiâ juris naturalis clari, quò facit illud Aug. *Nullus eſt, qui facit alteri injuriam, niſi qui fieri ſibi nolet. Et in hoc tranſgreditur naturæ legem, quam non ſinitur ignorare, dum id, quod facit, non vult pati.* Dum quis ſemel novit legem naturæ, & obliviſcitur poſteà, oblivio eſt vincibilis & culpabilis: nam oblivio præcepti poſitivi, verbi gratia præcepti Eccleſiæ, quod cognitum eſt, multo faciliùs excidere poteſt, vix ſine culpa contingere poteſt. Unde ait S. Aug. l. 11. de gen. ad litt. c. 29. *Neque ullo modo dici poſſet, id quod præceperat Deus oblitam fuiſſe mulierem: quãquã oblivio præcepti, maximè unius & tam neceſſarii,*

ad

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

*ad maximam culpam damnabilis negligentiæ pertineret.* Fateamur igitur ignorantiam juris generalis ſæpe eſſe vincibilem & culpabilẽ in adultis, poſſe tamen eſſe, & aliquando eſſe invincibilem & inculpabilem. Nec diſtinguamus inter jus naturale & poſitivum, ubi SS. Patres non diſtinguunt; ſed ſola peccata ex ſcientia, & ignorantia vincibili arguunt. Hoc demonſtremus.

251. S. Hier. l. 1. c. 9. in fine adverſ. Pelagi. diſputaturus de ignorantiæ peccatis, ita præfatur: *Nunc mihi latiſſima Scripturarum ſpatia peragranda ſunt, ut doceam errorem & ignorantiam eſſe peccatum.* C. 10. *Volunt enim eloquia Scripturarum, etiam ignorantiam habere peccatum. Vnde & Iob affert hoſtias pro filiis ſuis, ne forte per ignorantiam in cogitatione peccaverint.* Affert poſtea ignorantiam Lot (Gen. 19.) dicens: *Lot neſcit in concubitu filiarum quid fecerit . . . & tamen error in vitio eſt.* Legem Exod. 21. *Ille, qui occidit per ignorantiam, exilio condemnatur.* Legem Levit. 4. *Anima ſi peccaverit in conſpectu Domini non ſponte . . . . & poſtea didicerit peccatum ſuum, quòd peccavit per ignorantiam: offeret munus* &c. Levit. 5. *Si tetigerit aliquid immundum, quod non liceat tangere, & fecerit per ignorantiam & poſtea didicerit . . . . offeret Domino* &c. Levit. 22. *Si comederit homo de ſanctificatis per ignorantiam, imputatur ei iniquitas atque delictum.* Et ſtatim addit: *Si damnatur in lege ignorantia, quantò magis in Euangelio conſcientia? Tranſeamus ad Numeros.* Num. 15. *Cumque ignoraverit populus, & fecerit unum ex his, quæ facere non debuit . . . . offerte hircum* &c. Tandem Num. 35. *Sex civitates eliguntur exilii eorum, qui non ſponte, ſed per ignorantiam, vel jactu lapidis, vel impulſione manûs, vel joco, vel laſciviâ, atque inimicitiis, infelicitate magis, quàm voluntate peccaverunt, & tamen non abſque crimine ſunt, dum relegantur in perpetuum* &c. Vide apud eumdem exempla plura ignorantiæ facti, & juris poſitivi, quæ vincibilis erat, vel lege imputabilis. Colligo ex l. 2. c. 1. ubi Critobulus id unum Scripturis allatis oppoſuit: *His enim cunctis teſtimoniis videris hominum accuſare naturam, ac per hoc invidiam referre in Deum.* Reſpondet Atticus: *Pro oblivione, errore, & ignorantia, quaſi pro peccato offeruntur ſacrificia; ſive hoc malè juxta te, ſive bene juxta me: Deus præcepit, meum eſt obſervare, quod juſſit.* Reponit Critobulus: *Quoniam vim facis perſpicuæ veritati, & me trahis ad blaſphemiam, concedam tibi hoc in veteri lege præceptum, de qua ſcriptum eſt: vetera tranſierunt, ecce facta ſunt omnia nova. Nunquid & de Euangelio poteris hoc approbare, ut puniatur quiſpiam pro eo, quod neſciat, & ante pœnas luat, quam reus ſit conſcientiæ?* Poſt pauca hanc blaſphemiam ita retundit Atticus. *Tantis exemplis docere te volui, peccare hominem per ignorantiam, & pro peccato, ut in lege hoſtias, ita & in Euangelio offerendam pœnitudinem.* Hæc arguit ignorantiam culpabilem, & vincibilem, ut ſupra vidimus ex S. Scriptura, & S. Aug. Habes ergo hic peccata propriè dicta ex ignorantia vincibili, vel peccata legalia ex qualicumque ignorantia legis. Nulla autem ex ignorantia invincibili.

*S. Hier. affert exempla ignorantiæ, ex S. Scriptura,*

*Sed facti, & juris poſitivi.*

*Hæ ignorantiæ vincibiles erant & peccata propriè,*

*Vel lege imputabiles & peccata legalia.*



252. Adeamus S. Aug. is l. 6. Cont. Jul. c. 1. ait Juliano; *Ecce meritò reprehendiſti eos & graviter:* Qui . . . ſuperſederunt ſcienda cognoſcere. Et c. 17. de Nat. & Grat. inquit: *Tractat etiam iſte* (Pelagius) *de peccatis ignorantiæ & dicit:* Hominem prævigilare debere, ne ignoret: ideoque eſſe culpandam ignorantiam, quia id homo neſciat negligentiâ ſuâ, quod adhibitâ diligentiâ ſcire debuiſſet. Hæc probat, & monet inſuper: *Vt oret & dicat: da mihi intellectum ut diſcam mandata tua.* Vincibilem quoque ignorantiam carpit S. Aug. in illud Pſal. 35. Dixit injuſtus ut delinquat in ſemetipſo, non eſt timor Dei ante oculos ejus, inquiens: *Non unum hominem, ſed genus hominum iniquorum dicit, qui ſibi adverſantur, non intelligendo ut bene vivant; non quia non poſſunt, ſed quia nolunt,* & infra: *Dei timor non eſt ante oculos ejus, qui dolosè egit, ut inveniret iniquitatem ſuam & odiſſet: Iſte ſic egit ut non inveniret. Sunt enim homines, qui quaſi conantur quærere iniquitatem ſuam, & timent illam invenire: quia, ſi illam invenerint, dicitur illis: recedite ab illa, Hæc feciſti antequam ſcires, iniquitatem feciſti, cum eſſes in ignorantia.* Sincerè quærit iniquitatem, & bona fide ignorat; Qui *cum viderit, quia peccatum eſt, & deſtiterit facere ipſum peccatum: quod ideò faciebat quia ignorabat: verè ſic voluit noſſe iniquitatem, ut inveniret & odiſſet. Nunc autem multi dolosè agunt, ut inveniant iniquitatem ſuam: id eſt non ex animo agunt invenire & odiſſe.* Præter illos, *Sunt homines, qui volunt intelligere & non poſſunt,* quos requieſcere dicit; quando bona conſcientia eſt. Ecce vincibilem culpat S. Præſul, invincibilem verò ignorantiam, & quod ex ea fit, non arguit.

*S. Aug. corripit ignorantias vincibiles.*

*Admittit invincibilem, quam excuſat, & quod ex ea fit.*

Famoſus inſuper eſt S. Aug. locus Epiſt. 253.
105. quem hìc integrum accipe. Cum dixiſſet S. Doctor ad occulta Dei judicia pertinere, cur ex pueris unum potiùs, quàm alium liberet, ſubdit; *In majoribus dumtaxat ætatibus meritò dici poteſt: hi noluerunt intelligere, ut bene agerent: hi, quod gravius eſt, intellexerunt, & non obedierunt.* En alia peccata adultorum ex negligenti vel ſupina ignorantia, & alia ex ſcientia. Poſtea probat ex Scripturis, *Inexcuſabiles eſſe, quos non latet veritas, & in eis perſeverat iniquitas.* Inter hos illi ſunt: *Qui inviſibilia illius per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpicere potuerunt, nec obedierunt tamen veritati, ſed iniqui & impii permanſerunt.* Pergit; *Quantò magis inexcuſabiles ſunt, qui ex lege ejus inſtructi confidunt ſe ipſos duces eſſe cæcorum?* &c. Confirmat hæc ex Chriſti verbis Joan. 15. *Dicit . . . . Dominus in Euangelio: ſi non veniſſem, & eis locutus non fuiſſem, peccatum non haberent: nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo. Non utique peccatum nullum haberent, qui pleni erant aliis magnis multiſque peccatis; ſed hoc peccatum vult intelligi non eos habituros fuiſſe, ſi non veniſſet; quo, cum audiſſent eum, non crediderunt in eum: hanc eos excuſationem non habere aſſerit, quâ poſſint dicere: non audivimus, ideò non credidimus. Humana quippe ſuperbia tamquàm præſumens de viribus liberi arbitrii excuſatam ſe putat, quando ignorantiæ, non voluntatis videtur eſſe, quòd peccat.*

*Famoſus Aug. locus Epiſt. 105.*

*Culpat ignorantiam craſſam & ſupinam,*

*Non invincibilem Evangelii.*

254. *Gentiles hac laborantes ob originale & actualia damnandi.*

Ly, *quippe*, connectit hanc ſententiam cum præcedente,& indicat hæc ad eandem Euangelii ignorantiam referri. Acſi diceret S. Aug: tantùm quippe homines præſumunt de viribus libertatis ſuæ, ut ſe non dubitent credituros fuiſſe Euangelio, ſi audiviſſent; adeòque hanc prætexere excuſationem ſolent: *Non audivimus, ideò non credidimus.* Sed fruſtrà, nam *Secundùm hanc excuſationem,inexcuſabiles dicit Scriptura divina quoſcumque ſcientes peccare convincit; Dei tamen juſtum judicium nec illis parcit, qui non audierunt. Quicumque enim ſine lege peccaverunt, ſine lege peribunt; & quàmvis ſe ipſi excuſare videantur* (dicentes non audivimus)*non admittit hanc excuſationem* (ut illis parcat omninò, cùm aliis peccatis actualibus, & maximè originali gentiles teneantur obſtricti) *qui ſcit ſe feciſſe hominem rectum, eique obedientiæ dediſſe præceptum, nec niſi ejus, quo malè uſus eſt libero voluntatis arbitrio, etiam, quod tranſiret in poſteros, manaſſe peccatum. Neque enim damnantur, qui non peccaverunt, quandoquidem illud ex uno in omnes pertranſiit, in quo ante propria in ſingulis quibuſque peccata omnes communiter peccaverunt.*

255. *Vnde omnes ignorantes inexcuſabiles.*

*Ac per hoc inexcuſabilis eſt omnis peccator, vel reatu originis, vel additamento etiam propriæ voluntatis: ſive qui novit, ſive qui ignorat: ſive qui judicat, ſive qui non judicat: quia & ipſa ignorantia in eis, qui intelligere noluerunt, ſine dubitatione peccatum eſt: in eis autem,qui non potuerunt,pœna peccati. Ergo in utriſque non eſt juſta excuſatio, ſed juſta damnatio.* Si enim audiverunt & non crediderunt,damnantur propter peccatum infidelitatis & alia perſonalia; ſi non audiverunt,damnantur propter peccatum originale, vel alia peccata contra legem naturæ, non propter peccatum infidelitatis, quo in Chriſtum non crediderunt. Videtis & hìc, quòd vincibilem ignorantiam culpet, invincibilem non culpet; ſed invincibiliter ignorantem Euangelium damnandum dicat,quia *Neque ab illo,quod originaliter contrahitur, neque ab his, quæ unuſquiſque in vita propria vel intelligendo vel nolendo intelligere*(nulla mentio de non valentibus intelligere) *mala congregat,vel etiam inſtructus à lege additamento prævaricationis exaggerat, quiſpiam liberatur & juſtificatur,niſi gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Hinc collegimus ignorantiam invincibilem dari,& excuſare à peccato, cujus cauſa exſtitit;non autem excuſare à peccatis reliquis, ad quæ perpetranda nihil contulit.Eodem modo loquitur S.Pater tract,89. in Joan. ad illa verba: *Si non veniſſem &c.* quærit *Vtrùm hi,qui, priuſquam Chriſtus veniret in Eccleſia ad gentes, & priuſquam Euangelium ejus audirent, vita hujus ſine præventi ſunt, ſeu præveniuntur, poſſunt habere hanc excuſationem?* Reſpondet: *Poſſunt planè, ſed ideò non poſſunt effugere damnationem. Quicumque enim ſine lege peccaverunt, ſine lege peribunt*: ſcilicet propter peccatum originale vel actualia voluntaria, ab ignorantia independentia, non autem propter peccatū infidelitatis in Chriſtum

*Excuſat à peccatis ſi ignorent invincibiliter.* S. Aug.

256. Paleſtina Synodus ſupereſt,in qua hæc Cœleſtii Pelagiani propoſitio damnata eſt: *Oblivionem & ignorantiam non ſubjacere peccato, quoniam non ſecundùm voluntatem eveniunt, ſed ſecundùm neceſſitatem:* Damnata eſt, inquam, prout jacet, nam ſine examine omnes Epiſcopi clamarunt: *Hoc reprobat Sancta Synodus & Sancta Dei Catholica Eccleſia.* Hìc agitur de quavis ignorantia, juris naturalis, poſitivi & facti. Si enim de ſola ignorantia juris naturalis ageretur, in uno ſolo ſenſu fuiſſet falſa propoſitio, & in duobus ſenſibus vera; nempe de jure poſitivo & facti: hoc autem procul dubio expreſſum fuiſſet, ſi verum. Idem evidenter patet ex ratione ſubnexa, quæ eſt: *Cùm in lege ſacrificia pro ignorantia, ſicut pro peccato offerantur.* Quod fiebat etiam pro ignorantia facti, & juris poſitivi, ut patet ſupra n.251. Denique hìc agitur de illa ignorantia,de qua S.Aug. & S. Hier. cum Pelagio diſputarunt; hæc autem fuit vincibilis juris naturalis, poſitivi & facti, ut patet ex adductis exemplis: vincibilis autem ignorantia patenter non excuſat à peccato, ut tandem ipſi Pelagiani faſſi ſunt. Exempla producamus.

Primum eſt Abimelech Regis, quem ignorantiæ titulo excuſabant Pelagiani apud S. Aug.l,3. de lib.arb.c.19. Dicebat namque Julianus: perfectam ignorantiam juſtitiam nominari, quia dixit Deus ad Abimelech, qui cum Sara erat concubiturus, ignorans quòd uxor eſſet aliena: Et ego ſciebam, quia in corde mundo feciſti hoc. Reſpondit Aug. *Non attendiſti homo,qui non vis judicio divino quemquam non ſuis, ſed alienis plecti poſſe peccatis, quomodò fieri potuerit, ut Abimelech peccaret, quàmvis nec ipſe adulterino corde peccaverit, & Deus quantulumcumque peccatum ejus in mulieribus ad eum pertinentibus vindicaret.* Sentiebat S. Aug. & paſſim S.Scripturæ interpretes, Abimelech non examinaſſe ſufficienter,an Sara eſſet uxor Abrahæ.

Secundum exemplum eſt Apoſtoli Pauli, dicentis *Miſericordiam conſecutus ſum, quia ignorans feci.* Hujus ignorantia indubiè fuit vincibilis, quia audiverat Apoſtolos prædicantes, viderat S.Stephanum morientem, & erat peritus in lege, pro qua abundantiùs æmulabatur.

Tertium exemplum eſt ignorantiarum legis, pro quibus in lege ſacrificia, ſicut pro peccato offerebantur, quæ erant juris poſitivi vel facti, eæque vincibiles in ſe, vel legis interpretatione ſaltem: de quibus S. Aug. de Nat.& S. grat. c. 17. *Aliud eſt non curaſſe ſcire, quæ negligentiæ peccata etiam per ſacrificia quædam legis videbantur expiari.*

Quartum exemplum eſt ex Num.35.eorum, qui Non *ſpontè, ſed per ignorantiam vel jactu lapidis* &c. Vide ſupra n.251.

Quintum eſt Davidis dicentis Pſal. 24. *Delicta juventutis* &c. Hanc Davidis ignorantiam uti Apoſtoli ſuprà, 1. ad Timoth.1. eſſe vincibilem docet S.Aug. l.3. de lib.arb. c.18. *Etiam S. per ignorantiam facta quædam improbantur, & corrigenda judicantur, ſicut in divinis auctoritatibus legimus. Ait enim Apoſt. miſericordiam conſecutus ſum, quia ignorans feci. Ait & Propheta: delicta juventutis & ignorantiæ meæ ne memineris.* Eadem

verba

verba repetit l. 1. retract. c. 9. & l. de geſtis Pelagii c. 18. ut probet oblivionem & ignorantiam ſubjacere peccato, adducit: *Cùm David dicat delicta juventutis meæ* &c: & *cùm in lege ſacrificia pro ignorantia ſicut pro peccato offerantur.* In lege autem, ſecundùm Aug. ſupra, pro negligentiæ peccatis offerebantur. Nec eſt veroſimile Davidem in ætate virili, in qua hunc Pſal. decantavit, ignorantiâ invincibili juris naturalis aut legis Moſaicæ laboraſſe.

260. *Ignorantia, quâ fuerunt vincibiles & peccata propria, vel ſaltem peccati pœna.* Adde ipſos Pelagianos tandem admiſiſſe ignorantiam, pro qua in lege ſacrificia offerebantur eſſe vincibilem & ex negligentia: ſed retinendo caput doctrinæ ſuæ, dicebant eam ſine divinæ gratiæ ſubſidio vinci poſſe. Unde S. Aug. eorum ſententiam exponit dicens: *Dum tamen omnia potiùs diſputet, quàm ut oret & dicat: da mihi intellectum* &c. Vide ſupra n. 252. & nota, quoties S. Aug. ſimilia verba Pelagianorum recitat, toties ab iis admitti poſtulat, ut fateantur ignorantiam in peccati pœnam infligi, & luce divinæ gratiæ purgari. Ex his omnibus concludamus, quidquid ex ignorantia perperam committitur, tunc tantùm culpæ tribui, cum ipſa ignorantia peccaminoſa eſt: tunc autem ignorantia peccaminoſa eſt, cùm præceſſit negligentia, aut aliud aliquid à nobis commiſſum, à quo uti & voluntarii, ita & culpæ rationem trahat, ſic ut formalis ratio voluntarii & peccati primariò & per ſe negligentiæ competat, aut illi alteri. Tum negligentia in ignorantiam, ac poſtremò in illud, quod ex ignorantia fit vel omittitur, derivatur.

Et hactenus quidem de gratia ſufficienti & poſſibilitate mandatorum ſatis, ut arbitror, pro ratione noſtri inſtituti, quod non eſt tractare de materia auxiliorum gratiæ, ſeu eorum concordia cum libero arbitrio; id enim ex juſtiſſimis cauſis ab Eccleſia prohibitum novimus; ſed illa tantùm examinare, quæ contra hæreticos inter DD. Catholicos in Scholis, atque etiam libris editis, hucuſque citra offenſam aut contradictionem diſputari conſueverunt, inter quæ meritò cenſetur poſſibilitas obſervandi mandata Dei: uti etiam prædeſtinatio, & reprobatio, de quibus in reliqua parte hujus Operis ſermo nobis erit; ac primò quidem de prædeſtinatione, id eſt, de providentia divina circà creaturam rationalem efficaciter deſtinandam in finem ſupernaturalem. Erit ergo 261.

# SECTIO TERTIA

## DE PRÆDESTINATIONE SECUNDUM SE.

1. *Prædeſtinatio multas in ſe continet difficultates.* Acturus de prædeſtinatione, ingredior mare magnum, & ſpatioſum manibus, ubi reptilia, quorum non eſt numerus, difficultates, inquam, permaximæ, humano intellectui inexplicabiles, idque ſine numero, de quibus jure meritiſſimo exclamavit Apoſtolus Rom. 11. v. 33. *O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius ejus fuit?* Ut proinde ſatius alicui videri poſſet, in captivitatem redigere omnem intellectum ſuum in obſequium Chriſti, quàm velle navigare hoc mare tam periculoſum, id eſt, velle perſcrutari ea, quæ Deus voluit eſſe imperſcrutabilia, ne undis obruti, & ad ſcopulos eliſi in abyſſum demergamur, hoc eſt, à recto tramite fidei deviemus. Undè minimo minùs abfuit, quin calamum abjicerem, cœptoque labore deſiſterem, ac verè dicerem, libentiùs diſco, quàm dico, ne audeam docere, quod neſcio. Quia tamen ſcriptum ſcio: *Sapientia* (*divina*) *aperuit os mutorum, & linguas infantium fecit diſertas*, Sap. 10. v. 21. & conſiderans, quod ait Apoſt. ad Philip. 1. v. 6. *Confidens hoc ipſum, quia, qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet uſque in diem Chriſti Ieſu*, calamum reſumpſi ferè abjectum, nec dimittam eum, confidens hoc ipſum, quia, qui cœpit in me opus bonum, perficiet in laudem gloriæ gratiæ ſuæ, non in laudem meritorum meorum, quæ multa ſunt, ſed mala.

Quid ergo? docebo quod neſcio? Nequaquam: quippe ſcio hoc eſſe verum, quod fides vera, antiqua, Catholica, quâ creditur & aſſeritur prædeſtinatio Sanctorum, non eſſe convicerit falſum. Porrò hoc, & non aliud, intendo docere; præſenti quidem Sectione, quid ſit prædeſtinatio Sanctorum; ſubſequentibus autem, quoſnam prædeſtinatio habeat effectus, & quam cauſam. Dico igitur Primò: 2. *Hoc de ea verè aſſeritur, quod fides Catholica non convincit eſſe falſum.*

### CONCLVSIO I.

**Prædeſtinatio Sanctorum nihil aliud eſt, quàm præſcientia & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur quicumque liberantur.**

Usque adhuc diſputavimus de Providentia Dei, partim in communi, partim illâ, quâ Deus omnes creaturas rationales ſufficienter dirigit in vitam æternam; nunc incipimus tractare de ea, quâ aliquas rationales creaturas efficaciter in eum finem deſtinavit, & vocari ſolet prædeſtinatio, idque aptiſſimè, prout notat Smiſing. de Deo uno tr. 3. diſp. 6. q. 5. in principio: nam (inquit) præpoſitio *Præ*, æterni- 3.

 nita-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN